DE C. PLINII CAECILII SECUNDI

ET

IMPERATORIS TRAJANI

EPISTULIS MUTUIS DISPUTATIO.

SCRIPSIT

CAROLUS GUILHELMUS IGNATIUS WILDE, S. J.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD J. W. VAN LEEUWEN.
(Maarsmanssteeg).
MDCCCLXXXIX.

DE C. PLINII CAECILII SECUNDI ET IMPERATORIS TRAJANI EPISTULIS MUTUIS DISPUTATIO.

GEDRUKT BIJ J. J. GROEN TE LEIDEN.

De C. Plinii Caecilii Secundi et Imperatoris Trajani Epistulis Mutuis Disputatio.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

A. P. N. FRANCHIMONT,

PHIL. DOCT., IN FACULTATE DISCIPL. MATHEM. PHYSIC. PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

summisque in litterarum classicarum disciplina honoribus et privilegiis

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

CAROLUS GUILHELMUS IGNATIUS WILDE, S.J.

AMSTELODAMENSIS.

DIE XXIII MENSIS SEPTEMBRIS A MDCCCLXXXIX. HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD J. W. VAN LEEUWEN.

(Maarsmanssteeg).

MDCCCLXXXIX.

Optimo Patri Matrique carissimae.

Confecto jam studiorum curriculo summis viris, quibus, si quid in antiquis litteris aut valeo aut valebo, acceptum refero, meritissimas gratias palam persolvere liceat, ne illis debitae observantiae testimonium, mihi grati animi sensus defuisse videatur.

Tibi quidem, vir clarissime Cornelissen, quantum debeam paucis enarrare non possum; sed neque opus est: norunt enim omnes, quotquot Te Magistrum coluere, quanta humanitate et benevolentia auditores Tuos complecti soleas; quam et ego per quadriennium ita expertus sum, ut Te non peritissimum tantum studiorum ducem, verum et benignissimum fautorem cognoverim.

Pares Tibi gratias et habeo et ago, vir clarissime v. Leeuwen, cuius doctrina et benevolentia me haud parum esse obligatum et probe scio neque facile obliviscar.

Neque ego hoc loco Te praeterierim, vir clarissime Land, quem eruditissimum mihi extitisse Magistrum grata semper mente recordabor.

„Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus ipse ubi doctus est cum grata recordatione in mente versetur?"

Scribebam in Gymnasio Catvicensi mense Sept. 1889.

De mutuis Plinii et Trajani Epistulis.

Quadringenti prope anni sunt, ex quo Hieronymus Avantius Veronensis Epistularum Trajani et Plinii mutuarum singularem librum edidit, Bernardo Bembo notissimo illi bonarum litterarum patrono missum. Quae quidem epistulae, cum non scriptorum tantum vitam verum et alia multa ad universam aetatis illius historiam pertinentia egregie illustrarent, virorum doctorum animos vel maxime in se converterunt. Quorum alii inventum thesaurum summis laudibus extollebant, „pretiosissimas gemmas" vocantes „numquam pro pretio aestimandas", alii libro nuper edito fidem temere habendam negabant, alii denique eundem tamquam suppositicium ne assis quidem faciendum existimabant.

Atque dissensio illa sextodecimo post Christum saeculo ineunte exorta — quamquam non raro intermissa — ad haec usque tempora perducta est, neque hodie de re controversa inter viros doctos plane convenit. Quae cum ita sint, non inutile opus me facturum arbitror, si pro viribus quaestionem hanc iterum tractandam suscepero. Ac, licet vix sperare ausim hac commentatiuncula veteri controversiae finem tandem impositum iri, quae hoc prae-

sertim saeculo viri docti de ea re scripserunt diligenter in unum contuli, ut examinatis ac perpensis omnibus quae utrimque afferri possent, quid verum, quid falsum videretur ostenderem.

Principem libri de quo disputabimus editionem paravit Avantius anno 1502, qui eam ex apographo manco et depravato typis expressit, quod se Petri Leandri cuiusdam industria e Gallia accepisse profitetur. Ex epistulis 121 (124), quae in hodiernis editionibus leguntur, 40 priores librarii incuria omissae erant, et, cum solae Plinii litterae, non vero Trajani rescripta suis titulis distinguerentur, 46 tantum epistulae numerabantur. Quare et editor librum inscripsit: „*C Plinii Iunïoris ad Traianum epistole* 46 *nuper reperte cum eiusdem responsis.*" [1])

Secuti sunt paulo post Phil. Beroaldus (1502) et Catanaeus (1506) qui easdem omnino epistulas ediderunt, nullo meliore vel codice vel apographo usi, additis tantum suis aliorumque conjecturis et emendationibus.

Integrum vero, qualem hodie habemus, librum edidit novemque aliis Plinii libris tamquam decimum adjecit Aldus Manutius Venetiis 1508. Is primus 40 priores epistulas, ab aliis omissas, reliquis adjunxit, codice usus — ut ipse testatur — manuscripto Parisiis a Jucundo Veronensi invento, itemque eiusdem codicis apographo, quod idem Jucundus confecerat. [2])

---

[1]) De his omnibus vide sis Keil in praefatione editionis majoris Lips. Teubner. 1870 et E. G. Hardy in editione Epistularum mutuarum Plinii et Trajani. Introduction. p. 65—75. (Londini Mac Millan & C°. 1889).

[2]) Codex ille Parisinus temporum injuria amissus nec dum repertus est. In aliis Plinii libris manuscriptis Epistulae ad Trajanum non leguntur. De apographo Bodleiano infra agendum erit.

Eorum, qui post Aldum epistulas hasce ediderunt nemo novo codicis apographo usus est, sed Aldinam editionem omnes secuti sunt. Neque enim — si Keilium audias — quod Catanaeus in secunda sua editione anni 1518 de vetustissimo quodam Germanico codice affirmat fide dignum videtur: „Nam sicut in priore editione principem Editionem (Avantii) expresserat, ita in hac Aldinam conjecturis vel suis vel doctorum virorum quorum nomina.... appellat, hic illic mutatam repetivit, neque quicquam novi e codice protulit." [1])

Reliqui quoque editores — ita fere Ussing [2]) — Aldum vix verbo mutato secuti sunt, donec Henricus Stephanus (1581) multa emendavit et epistularum ordinem ita invertit „ut eas epistulas, quibus rescriptae ab imperatore epistulae additae sunt a reliqua parte segregaret, et addita nova inscriptione epistularum Plinii et Trajani mutuarum in finem reiceret." [3]) Quod exemplum cum plerique editorum imitati essent, post irritum Gierigii conatum, Keil primus verum et antiquum epistularum ordinem restituit.

Ceterum — ut jam significavi — ne illis quidem temporibus defuerunt, qui librum hunc verum germanumque esse pernegarent. Quare jam et Catanaeus (1506) et Aldus (1508) de invidis illis, quos vocabant, obtrectatoribus conquesti sunt. [4])

---

[1]) Keil ll. p. XXXVII.

[2]) Ussing: „Om de Keiser Trajan tillagte Breve til Plinius" in „Kgl. danske Videnskabernes Selskabs Skrifter 5te Raekke historisk og philologisk Afdeling 3ie Bind, Hauniae 1860. pp. 4 sq.

[3]) Keil ll. p. XXXVIII.

[4]) Vide Keil ll. p. XXXVI.

Paulatim vero controversia videtur esse omissa, et inter multos illos, eosque doctissimos viros, qui post Aldum epistulas vel ediderunt, vel commentariis instruxerunt, vix unus et alter inventus est, qui vel levissime de αὐθεντία dubitaret. G. I. Vossius quidem: „(librum decimum) esse genuinum, inquit, extra controversiam poni debet, praesertim de epistola illa, qua super Christianis Trajani judicium exquirit, item ista, qua Caesar Plinio respondit" [1]).

At vero ante hos centum annos (1788) Semlerus quaestionem denuo agitare coepit. Solas ille quidem epistulas T. 96 et 97 (quibus de Christianorum causa agitur) impugnavit, quas a falsario (Tertulliano forte) confictas, „stolidissimas nugas, fraudesque non pias sed impudentes" dixit. [2])

Sed, quamvis Semlerus multum pulveris excitaret, non ille, vel iis ipsis fatentibus, qui postea easdem epistulas genuinas esse negaverunt, non ille, inquam, in ea re quidquam effecit.

Recte v. d. L. Schaedel: „Semlers ganze Kritik hat alls Mängel des Rationalismus: Beweisführung aus Gemeinplätzen .... Wie aus diesem Briefe eine ganze und eben diese Sammlung habe erwachsen können, an diese Schwierigkeit hat er mit keinem Finger gerührt; und hätte wirklich Tertullian den Brief geschrieben, woher wäre dem

---

[1]) G. J. Vossius „Commentarius in Epistol. Plin. de Christianis etc." inter Opuscula varii argumenti p. 54. Operum Tom 4. Amstel. 1699.

[2]) In libro quem inscripsit: „Neue Versuche die Kirchenhistorie der ersten Jahrhunderte aufzuklären." 1788. Impugnavit Semlerum et penitus corfutavit Haversaat, defendit Corrodi. cfr. Rev. des Quest. Histor. Tom. 24 p. 128.

guten Punier hier das reinere Latein gekommen, und warum fänden wir in der Fälschung nicht auch das: „quibusdam gradu pulsis" des Apologeticus wieder?" [1])

Neque Semleri sententia apud viros doctos multum valuit. Itaque, qui hoc ipso saeculo in Plinii scriptis explicandis operam posuerunt, Gierig, Orelli, Döring, Keil, neque non nuperrime Hardy, [2]) ad unum omnes epistulas illas veras germanasque esse contenderunt. Quibus accedunt multi alii viri docti, qui de illius aetatis rebus aut moribus disputarunt, inter quos — ut nonnullos tantum honoris causa nominem — Mommsen, Duruy, Dierauer, Marquardt, Franke — neque minus Peter, Asbach, Stobbe, alii — vix verbo controversiae illius mentionem faciunt.

Quare supervacaneum fere videri possit rem actam agere velle nisi et nuper extitissent viri, doctrina haud parum illustres, Semleroque iidem longe prudentiores, qui aliis illi quidem argumentis Semleri tamen sententiam defendendam sibi ducerent.

Quorum alii universum librum „decimum" [3]) — ita ante Keilii editionem vocabant — alii solas illas de Christianis epistulas (T. 96, 97) impugnarunt. Atque hi rursus in duas partes dividi possunt: alii enim utramque illam, alii alterutram epistulam suppositam esse affirmant. Tandem ex illis qui epistularum *αὐθεντίαν* negant, alii

---

[1]) Programm des Gymnas. zu Darmstadt. 1887 p. 6

[2]) C. Plinii Caecilii Secundi Epistulae ad Trajanum Imperatorem cum eiusdem responsis; Ed Hardy. Londini Mac Millan & C°. 1889. Introduction.

[3]) Olim epistulae mutuae. Plinii et Trajani „decimi libri" nomine ferebantur: Keil vero librum, quippe qui seorsum editus videretur, proprio titulo recte recensuit.

easdem jam priscis temporibus (Tertulliani forte aetate) confictas, alii saeculo demum 15 exeunte a viro litterato quodam Tertulliani verba secuto compositas esse contendunt.

Primus hoc saeculo in arenam hanc descendit v. d. Julius Held, Gymnasii Suidniciani quondam rector. Qui vir, Plinii scriptorum studiosissimus, post utilissimum libellum, in quo multa quae ad Plinii amicos spectant ab aliis neglecta optime enarravit [1]), anno 1835 scripsit: „Prolegomena ad librum Epistolarum, quas mutuo sibi scripsisse Plinium Juniorem et Trajanum Imperatorem viri docti credunt."

Quo quidem opusculo contendit vir doctissimus, epistulas illas spurias et subditivas sibi videri. Quo vero tempore, et a quo scriptore confictae putandae sint non definite ostendit; significat quodammodo, eas saeculo demum 15 exeunte esse scriptas.

Heldii commentatio tam rara videtur esse, ut v. d. L. Schaedel, qui nuperrime de eadem quaestione disputavit, eandem non nisi nomine norit; [2]) — mihi quoque haud exigua opera constitit ut tandem illam adipiscerer; quare haud inutile fuerit praecipua Heldii argumenta paucis referre.

1⁰. Primum epistularum multitudo Heldium offendit: tot enim per legationis tempus (a. m. Sept 111 — Mart. 113). Roma in Bithyniam et e Bithynia Romam negat mitti potuisse. [3])

---

[1]) Ueber der Werth der Briefsammlung des jüngeren Plinius in Bezug auf Geschichte der Röm. Litteratur" 1833.

[2]) Schaedel ll. p. 5.

[3]) Held ll. pp. 5—12. Ceterum non omnes legatos tot ad Imperatorem misisse epistulas unusquisque facile intellegit quare recte monet v. d

2⁰. Multo vero graviores dubitandi rationes in ipsis epistularum argumentis sibi videtur invenisse: unam enim quam scripsit Plinius de Christianis epistulam si excipias nulla omnino tanti videtur esse, ut Plinius eam scribere, ad quam Trajanus rescribere potuerit. [1])

3⁰. „Offensuram praeterea lectorem putat respondendi quam iniit Trajanus rationem ..... Merito mirabere in epistolis multis ad praefecti (sic) interrogationes respondere ita (Caesarem), ut nihil fere commodi cepisse videatur." Ac, multis huius rei exemplis allatis: „Haec suffectura, inquit, ego opinor, ad comprobandam sententiam, imperatorem prudentem, qualia contineantur epistolis decimi libri responsa, talia vix censeri posse exhibuisse." [2])

4⁰. „Iam, ita pergit, si considerata epistolarum forma, frustra quaesiveris temporis quo datae fuerint indicium, senserisque egregium exemplum Augusti imperatoris, quem ad epistolas omnes horarum quoque momenta nec diei modo, sed et noctis, quibus datae significarentur, addidisse Suetonius [3]) est auctor, haud secutum esse Trajanum, qui neque ipse, quo tempore dederit epistolam, significaverit, neque quando praefecti sui epistolae datae essent, significatum reperire potuerit, cum perraro tantum insint in illius epistolis temporis indicia, nullam prope-

---

De la Berge in libro: „Essai sur le Règne de Trajan." Paris 1877. p. 121: „Il ne faut donc pas chercher dans cette correspondance *le type* du gouvernement de Trajan. Mais on tirera des inductions légitimes si l'on veut connaître *l'esprit* de ce gouvernement, car cet esprit assurément n'était pas en Bithynie autre qu'ailleurs."

[1]) Held ll. pp. 12- 17.

[2]) Held ll. pp. 17—20.

[3]) Suet. Octav. C. 50.

modum notam, imperatoris illius manum prodentem, prae se ferre epistolas concedes." [1])

5°. Plura alia, quae ad caput unum commode revocari non possunt, in epistulis illis Heldio summo opere displicent. Epistulam T. 3 cum Ep. II, 11 pugnare affirmat; neque magis ea quae T. 96 narrentur inter se componi posse. Valde quoque offenditur epistulis T. 15, 16, 17 A, B, 18. — Denique usus vocis „Domine" non videtur ei convenire cum illis, quae in Panegyrico [2]), qui vocatur, Plinius affirmat: „non de domino, sed de parente loquimur." [3])

6°. „In universum, inquit, in epistolis scripturae genus observabit lector diligens et Plinio Juniore et Trajano imperatore prorsus indignum." [4])

„Iam igitur, ita finem commentationi imponit, quoties quae disputata sunt colligo apud animum meum, haud immerito de laudatarum epistolarum origine, qualem crediderunt adhuc viri docti dubitare posse mihi videor."

„Augetur dubitatio eo ipso, quod in paucis tantum codicibus istae epistolae reperiuntur [5]) .... Objicies fortasse Tertulliani auctoritatem .... Verum et Tertulliani et reliquorum scriptorum .... testimonia hoc tantum videntur

---

[1]) Held ll p. 20.
[2]) Panegyric. cc 2, 3.
[3]) Held ll. pp. 20—25
[4]) Held ll. p. 25.
[5]) Ex iis quae hoc loco de „paucis codicibus" profert, et vel magis ex iis quae habet ll. p. 27: „Lacunam codices non innuunt" recte colligere mihi videor Heldium non fuisse valde versatum in codicibus Plinianis. Nesciebat videlicet epistulas Trajani et Plinii in *nullo jam codice* legi. (Unum nimirum apographum Bodleianum si excipias quod hisce annis ab Hardyo repertum est, de quo infra agemus)

probare revera Plinium Juniorem de statu Christianorum ad Trajanum retulisse. Quid autem prohibet, quominus secundum Tertulliani verba epistolam novam factam et Plinio Juniori adscriptam esse putemus? Fortasse Symmachi exemplum qui decem epistolarum libros publicavit, rejectis quas ad Caesarem scripserat in decimum, imitari voluit, quisquis illas ad Trajanum scripsit. Sidonius Apollinaris novem tantum novit libros." [1])

Haec Held, quem commemorat Orelli tamquam impugnaturus [2]) (non tamen perfecit propositum); assentitur Heldio Hulleman noster: „Quae hodie feruntur Epistolae a Trajano et Plinio mutuae ad se scriptae, harum quam suspecta sit origo peculiari dissertatione demonstravit Heldius." [3])

Ceterum Heldii opusculum in Germania virorum doctorum oculos paene videtur latuisse; in iis enim libris qui postea de Plinii rebus et moribus conscripti sunt, vix umquam commemoratur [4]): „nemo propheta in patria."

Sed, quod in patria adeptus non est ei contigit apud exteros. Etenim v. d. Ussing in Academia Hauniensi, Madvigii discipulus quondam, tum collega, anno 1860 disputationem de eadem quaestione conscripsit, in qua Heldii opusculum non commemorat tantum, sed et fuse tractat. Atque ille quidem cum Heldio ita discrepat, ut non totum librum sed eas tantum epistulas subditivas esse ducat, quas

---

1) Held ll. pp 27, 28.

2) Orellius: Historia Critica Epistularum Plinii et Trajani p. 2.

3) Hulleman. Oratio Inauguralis: „De Litterarum praes. apud Romanos studiis Nerva Trajano Imperatore" (habita L. B. 1858, 20 Mart.) adnotat. 4.

4) Impugnat Heldium sed quasi praeteriens Döring in sua Editione Epistul. Plin 1843 Tom II p. 382.

Trajanus ad Plinium scripsisse fertur. Quare commentationem inscripsit: „Om de Keiser Trajan tillagte Breve til Plinius."

Sed neque Ussingii libellus in multorum manus videtur pervenisse, ita ut praeter Lagergren [1]) (qui ei assentitur) invenerim neminem, qui illius mentionem faceret. Cum vero Ussing et ob egregiam litterarum scientiam, et ob rationes quas protulit, inter eos qui his nostris temporibus harum epistularum αὐθεντίαν impugnarunt longe eminere videatur, hoc loco argumenta eius per summa capita exponere in animo est quae postea (una cum aliis) fusius expendam.

Priore opusculi parte, Semleri et Corrodii nugis breviter confutatis, Heldii sententiam examinat, et, quae ille in Plinii epistulis tamquam vitiosa reprehendit sanissima esse affirmat, quare easdem epistulas a Plinii manu profectas esse contendit; at vero cum Heldio facit in omnibus, quae in Trajani responsis ille notaverat, immo haud levibus argumentis eadem corroborare et confirmare conatur.

Quae quidem argumenta ut summatim complectar, haec sunt:

1⁰. Trajani, quae feruntur, rescripta tanto imperatore non solum indigna, sed saepe inepta, saepe obscura esse contendit; plerumque nihil illis proficere Plinium, non raro Plinii epistulas ab imperatore vix videri intellectas. [2])

---

[1]) J. P. Lagergren „De vita et Elocutione Plinii" Upsal. 1871. p. 25. Madvigius quoque Ussingii, ni fallor, argumentis adductus est ut scriberet haec: „Einen sehr wichtigen Beitrag zur Kenntniss der Statthalterthätigkeit bieten bekanntlich die Briefe des Plinius an Trajan, das Zehnte Buch; von den Antworten die dem Trajan zugeschrieben werden ist gänzlich abzusehen". Röm. Staat II p. 115 not.

[2]) Ussing ll. pp. 7—19.

2°. Non minus scribendi genere et elocutione Pseudo-Trajani, quem vocat, offenditur Ussing. Tali enim oratione hominem Romanum illius aetatis vel mediocriter instructum uti potuisse plane negat. [1])

3°. Quodsi libri condicionem quam vocat criticam spectes, vel inde apparere contendit epistulas Plinii et Trajani responsa in eodem codice servata non esse. [2])

4°. Tandem ea quae apud alios scriptores (Tertullianum dico, Eusebium aliosque) de epistulis illis leguntur elevare conatur, affirmans ea in Plinii litteras omnino quadrare, non vero in Trajani rescripta.

„Quare, inquit, responsa, quae sub Trajani nomine hodie circumferuntur, recentioris manus operae debentur. Apud Tertullianum mentio facta erat cum de Plinii epistula tum de Trajani rescripto: quare existimarunt viri docti responsa olim singulis epistulis subjuncta fuisse, temporum vero injuria periisse. . . . Vir litteratus quidam (forte Gallus) circa finem saeculi 15 videtur lacunam, quam putabat, voluisse explere, magnamque epistularum partem responsis instruxisse." Cur non omnibus epistulis responsa subjunxerit ignorare se fatetur Ussingius, forte crediderit hoc ipso majorem fidem fraudibus suis se conciliaturum. [3])

Nuperrime demum in Germania anno 1887 edita est commentatio viri doctissimi quem jam saepius nominavi L. Schaedel [4]). Qui hanc, de qua, nos disputamus, quae-

---

[1]) ibid pp. 19—23.
[2]) ibid. p. 23.
[3]) ibid. p. 26
[4]) Programm des Gymnas. zu Darmstadt 1887.

stionem tractans, enarrata et codicis et editionum historia, non ille quidem elocutionem, sed argumenta epistularum reprehendit: „die seine (Plinii) völlige Untauglichkeit zu einem höhern Verwaltungsposten dargethan hätten", rejectis tamen et Semleri et Heldii sententis, contendit fuisse profecto Plinii et Trajani epistulas mutuas, sed easdem ab editore — quem Plinii libertum fuisse suspicatur — stulte esse corruptas et interpolatas, quin etiam in plures saepe partes divisas, quo pacto facili negotio magnum illum epistularum numerum intelligi posse existimat. „Gewiss, ita disputationis summam paucis complectitur, hat Plinius mit seinem Kaiserlichen Gönner im Briefwechsel gestanden; eine ganze Reihe seiner Briefe gewähren weder nach Inhalt noch Form irgend einen Anstoss, daher wir uns begnügen trotz der Dunkelheit bezüglich der äusseren Herkunft, [1]) eine Vervollständigung der Sammlung seitens eines Mannes anzunehmen dem zwar vieles Einzelne des römischen Lebens seiner Zeit bekannt genug war, dem es aber an Überblick und Urteil fehlte, und der die geschickte indirecte Verherrlichung der Kaisers, die aus den wirklich gewechselten Briefen hervortrat, mit plumper Hand ins masslose und unverständige ausführte, dieselbe Verschönerung, wie sie Plinius mit seinen (uns verlorenen) Gerichtsreden nach Ep. IX. 28 vorgenommen hat.... Jetzt entspricht die Sammlung mehr der guten Tendenz als einem möglichen Sachverhalt, und „neque enim historiam componebam" (Ep. I. 1) passt in diesem Sinne auch hierher. Unser 10 Buch aber mag die Gabe gewesen sein,

---

[1]) De hac quaestione infra agemus.

mit welcher der Freigelassene des Plinius der seine Leiche nach Rom brachte, sich dem Kaiser empfahl." [1])

Ceterum, quid sibi interpolatum, quid sincerum videatur vir doctissimus non indicat; quare haec sententia commemorari potest, non potest refelli.

Haec in Germania et Dania viri docti At, qui in Gallia eandem controversiam moverunt, Semleri praesertim vestigiis inhaerentes, non integrum librum, sed solas illas de Christianis epistulas veras germanasque esse negaverunt [2])

Inter quos prae ceteris, quantum scio, Aubé [3]), Desjardins [4]), Dupuy [5]), viri doctissimi nominandi sunt. Sed hi, cum id praesertim agant ut probent has solas epistulas cum illius aetatis factis, rebus, moribus non bene convenire, de eorum argumentis infra fusius disseram, expositis ante gravissimis illis rationibus, quae demonstrant librum de quo disputamus a longe plurimis viris doctis Plinio Trajanoque recte assignari.

Quam rem ut clarius distinctiusque peragam, primum universum librum genuinum sincerumque esse ostendam; tum Ussingii sententiam confutare conabor; tandem in argumenta inquiram, quae adversus notissimas illas de Christianis epistulas a viris doctis prolata sunt. [6])

---

[1]) Schaedel ll. pp 7, 8.

[2]) Offenditur de la Berge (Essai sur le règne de Trajan p. 81) T. 9, 10 coll. cum Pan 69 sed de hae re vide Mommsen. Röm Staatsr. II² pp. 1044—1047.

[3]) „Histoire des Persécutions de l'Église jusqu'á la fin des Antonins" 2e Edition Paris 1875 pp 207—228.

[4]) In „Revue des deux mondes" 1874. Tom. VI. pp. 656 seq.

[5]) In „Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux 1880 Tom. II pp. 182—196.

[6]) De tota hac quaestione haud illepide Schaedel ll. p. 7: „Nach alle-

Cum autem indicia, ex quibus libri veritas cognoscitur, alia sint externa, alia ex ipsius libri consideratione colligantur, in hac causa utrumque argumentorum genus diligenter examinare conabor, quo fiet, ut epistularum *αὐθεντία* ab omni parte illustretur.

Et, ut ab externis, quae vocantur, argumentis initium faciam, quae et certius cognoscuntur, et facilius dijudicantur, cum codex ille unicus, quo Plinii et Trajani epistulae servatae sunt, temporum injuria sit amissus, restat ut inquiramus quinam illi viri fuerint, qui se codicem illum aut invenisse, aut vidisse, aut edidisse testentur.

Etenim vir quidam doctissimus, idemque veterum monumentorum peritissimus existimator et judex „ubi codices, inquit, manuscripti, ab aliquo typis editi, ipsi jam consuli non possunt, sive quia deperierunt, sive ob aliam quamlibet rationem, fides editionis integritati habenda maxime pendet ex auctoritate, seu nota probitate et scientia ipsius editoris." [1])

Et nos igitur primum in illorum fidem et auctoritatem inquiremus, qui nascenti quasi libro adfuerunt. Qua in disputatione Avantium, primum libri editorem et Petrum Leandrum, a quo codicis apographum se accepisse ille scribit, itemque eos qui deinceps epistulas repetiverunt, Beroaldum, Catanaeum omittam, cum ipsorum auctoritas levior esse videatur. Aldi vero Manutii

---

dem werden Kenner beider Forschungsgebiete zugeben, dass man dem 10 Buche der Pliniusbriefe nur Glück wünschen kann, sich nicht im Neuen Testamente zu befinden: vor dem Scharfblick unserer Kritiker würde es alsdann wohl aus äusseren wie inneren Gründen nicht bestehen."

[1]) C. de Smedt. Introductio generalis ad historiam Ecclesiasticam critice tractandam. Gandavi 1876 p. 17.

testimonium et quae cum ipso cohaerent, quam diligentissime potero perscrutabor.

Qui vir, inter aetatis suae editores merito celeberrimus, libri de quo agimus, originem hoc modo enarrat:

„Solebam — ita scribit ad Aloisium Mocenicum — superioribus annis.... cum aut Titi Livii decades, quae non exstare creduntur, aut Sallustii aut Trogi historias, aut quemvis alium ex antiquis auctoribus inventum esse audiebam, nugas dicere et fabulas. Sed ex quo tu e Gallia, ubi pro Senatu tuo integerrime et accuratissime legatum agens, magnam tibi laudem et gloriam peperisti..... has Plinii epistolas in Italiam reportasti in membrana scriptas atque adeo diversis a nostris characteribus, ut, nisi quis diu assueverit, non queat legere, coepi sperare mirum in modum, fore aetate nostra, ut plurimi ex bonis auctoribus, quos non extare credimus, inveniantur. Est enim volumen ipsum non solum correctissimum, sed etiam ita antiquum ut putem scriptum Plinii temporibus [1].... Nunc autem hasce Secundi epistolas damus, quam correctissimas, in quibus etiam multae sunt, quae antehac non habebantur. Sed tibi imprimis habenda est plurima gratia, inclyte Aloisi, qui exemplar ipsum epistolarum reportasti in Italiam, mihique dedisti ut excusum publicarem. Deinde Jucundo Veronensi, viro singulari ingenio

[1]) Hac quidem in re, ut bene adnotat Ussing (II. p. 4) vehementer errat Aldus „Etenim, inquit, Plinii aetate et etiam multo post quadratis, quae vocantur, litteris solebant uti, quos profecto optime noverat Aldus." Haec quidem vere vir doctissimus; sed quod inde infert minime probandum mihi videtur: contendit enim liquere inde codicem non fuisse veterem, sed recentem valde et Germanicis, quales apud patres nostros vulgo in usu erant, litteris, iisque minus compositis clarisque exaratum. Qua de re sis cfr. Variot Rev. des Quest Hist 1878 Tom 24 p. 111.

et bonarum litterarum studiosissimo; quod et easdem Secundi epistolas ab eo ipso exemplari a se descriptas in Gallia diligenter, ut facit omnia, et sex alia volumina epistolarum, partim manuscripta, partim impressa quidem, sed cum antiquis collata exemplaribus [1]), ad me ipse sua sponte, quae ipsius est erga studiosos omneis benevolentia adportaverit, idque biennio antequam tu ipsum mihi exemplar publicandum dedisses." [2])

Haec Aldus, quem et apographum codicis a Jucundo Veronensi confectum, et ipsum codicem Parisinum habuisse et legisse ex verbis allatis apparet.

Cum quo bene concordat alius testis, magnae profecto auctoritatis. Gulielmus Budaeus, qui codicem illum ab eodem Jucundo Veronensi inventum esse affirmat: „Nos integrum ferme Plinium habemus, primum apud Parisios repertum opera Jucundi sacerdotis, hominis antiquarii, architectique famigerati." [3])

Cum igitur Aldus et Budaeus librum a Jucundo Veronensi alter inventum, alter descriptum esse testetur, quantum hac in causa in Jucundi fide positum sit, quis non intellegit?

Fuit autem Jucundus vir non solum summi ingenii et praeclarae eruditionis, sed, quod hoc loco plurimum refert, spectatae fidei et probitatis. [4])

Budaeus eum vocat „hominem antiquarium et architectum famigeratum", Aldus: „virum singulari ingenio et

[1]) De hisce infra agendum erit nobis.

[2]) cfr Keil ll pp XXII sqq

[3]) Budaeus: „Adnotationes in Pandect" *Ed.* 1508 *fol.* 33 (si qua Schaedelio fides?) ed 1516. fol. 32

[4]) De his omnibus vide Variot ll. p. 112

bonarum litterarum studiosissimum;" Iulius Caesar Scaliger, quem puerum in aula Imperatoris Maximiliani morantem litteras docuit: „Omnis antiquitatis peritissimum et antiquariorum diligentissimum."

Haud ignorasse eundem Jucundum artis criticae, quam vocant, praecepta, ex epistula quadam ipsius colligitur: „Non unum, inquit, quodlibet solum perlegendum, sed plurima conferenda exempla. Ex varia lectione non quae tibi maxime placeat eligenda, sed quae ceteris auctoris ipsius scriptis magis accommodata esse videatur, ita ut illius tibi prope animus induendus sit." [1])

Ad haec omnino congruunt, quae vir doctissimus I E. Volbeding de eodem Jucundo refert [2]), qui praeter alia multa narrat, magnam illum Inscriptionum Latinarum Syllogen composuisse, eaque postea Gruterum aliosque esse usos. Multos porro antiquos scriptores, Caesarem, Vitruvium, Catonem, Columellam edidit.

Quae cum ita sint, facile apparet, quam locupleti auctori libri huius fides innitatur.

Non unum vero Jucundum huius libri manuscripti testem

---

[1]) Variot ibid.

[2]) Sein „Hang zum Studium der Alterthümer zog ihn nach Rom und in andere Städte Italiens, wo er sich durch das fleissige Ausmessen und Abzeichnen von Bauwerken und Ruinen dieser Art unvermerkt zum praktischen Baukünstler ausbildete, dessen Rath und Geschicklichkeit von den Grossen seiner Zeit begehrt und gesucht war.... Ludwig XII berief ihn in 1499 nach Paris, wo er unter anderen Werken, die ihm übertragen wurden, die Brücke von Notre-Dame baute, welche in den Jahren 1500—1507 vollendet ward...: Giocondo leitete dann in Venedig die Wiederherstellung und Vollendung des Brenta-kanales, und führte in Verona den Hauptpfeiler der Etschbrücke von Neuem auf. Schon hoch bejahrt folgte er im Jahre 1514 einer Aufforderung Papst Leo's X um Theil an den Arbeiten an der Peterskirche zu nehmen." Volbeding apud Ersch & Gruber Real-Encyclopädie Sect. I Tom. 67, p. 371.

„oculatum" (quem dicunt) producam. Etenim eodem codice usus est Gulielmus Budaeus, jurisconsultus, qui vir quantum in antiquarum litterarum studiis et laudis et famae sit adeptus nemo nescit, ita ut de ipso plura hoc loco addere opus non sit. Quoniam vero L. Schaedel [1]) nuperrime negavit Budaei testimonium in hac causa recte afferri, vel saltem scrupulos aliquot nobis injicere conatus est, in ea quae huc pertinent diligentius inquirendum esse censeo.

Etenim in „Annotationibus ad Pandectas", qui liber anno 1508 primum editus est, haud raro Budaeus epistulas illas Plinii ad Trajanum Imperatorem laudat, saepius autem addit: „eas in libris impressis aut non legi aut perperam legi." Ut enim jam significavi, 40 priores libri, qui vocatur, decimi epistulae in iis editionibus quae ante 1508 emissae erant desiderabantur: eas ipsas vero Budaeus frequenter attulit. [2])

Patet Budaeum illas ex Aldino libro depromere non potuisse, quippe qui mense demum Novembri 1508 Venetiis sit editus, cum Budaeus Parisiis pridie nonas

---

[1]) Schaedel l. l. p. 7.

[2]) Epistulas illas nondum editas (ex 10mo libro) his locis laudat Budaeus Annot. in Pand. Ed. Novemb. 1508.

fol. 19 recto v. 1 (= fol 22 Ed. 1516.) „. . . . efficere volumus ut in Plinio: „Fundos emancipavit. . . . consummavit" (T 4. Ed. Keil).

fol. 26 (= fol. 30 Ed. 1516) „Plinius ad Trajanum episto. vigesima prima quae vulgo non reperitur: „Quid ergo . . . ad exemplum" (T. 29).

fol. 105. (= fol. 124 Ed. 1516): „Plinius ad Trajanum in libris integris: „Huic theatro. . caveam (T. 39).

Editionem hanc Budaei Parisiis 1508 editam, quam, in bibliothecis non paucis, cum patriae nostrae tum Bruxellis et Romae frustra quaesitam, eruditissimi amici opera Parisiis inveni (*Biblioth. Nation Réserve. F.* 114) saepissime laudat Schaedelius, sed, ut mihi videtur omnino perperam. Numeri enim foliorum quos affert, non quadrant.

Novembres eiusdem anni libro suo praefationem adposuerit. Unde haec igitur haurire potuit nisi ex ipso codice? Neque enim fas est dubitare, quin vir, antiquitatis omnis tam studiosus, cuius olim pater, tum frater, mox ipse bibliothecae scriniisque Christianissimi regis praefuerunt, ipsum codicem Parisiis nuper inventum, suis, ut aiunt, oculis inspexerit. [1])

Neque quidquam valet quod l.l. opponit Schaedel, ideo sibi non videri codicem ipsum a Budaeo esse adhibitum quod, quo tempore ille codicem Parisiis servari affirmaverit: „Nos integrum ferme Plinium habemus" (Nov. 1508), eodem Aldus eundem se Venetiis habuisse et expressisse contenderit (a Mocenico ad se allatum); nil, inquam, hoc valet. Cur enim Budaeus non antequam in Italiam deferretur codicem inspicere potuit? Sed non plus valet quod addit idem vir doctissimus, eadem quoque verba in altera eiusdem operis editione (anni 1516) legi: quidni enim codicem ab Aldo Parisios remissum esse existimemus? Et, ut admittam, in altera editione prioris praefationis verba esse repetita, cum codex etiam tum Venitiis servaretur, ea certe quae ante Aldinam editionem ex epistulis nondum impressis protulit aliunde non petiit. Codicem vero postea esse amissum etsi sane dolendum est, non tamen inde quidquam contra libri veritatem aut contra Budaei testimonium inferre licet.

Habemus ergo codicis Parisini auctores tres haud sane contemnendos: Aldum, Budaeum, Jucundum, quorum quantum fides valeat facile cernitur.

---

[1]) De Budaeo sis cfr. Ersch u Gruber. Real-Encycl. in voce Sect. I tom. 13 p. 338.

At vero in hac causa non unam tantorum virorum auctoritatem sufficere nobis necesse est. Cum autem multis aliis argumentis ipsorum fides egregie confirmetur, tales auctores quis temere suspectos habebit?

Praeter 40 illas namque Plinii et Trajani epistulas, quas in prioribus editionibus omissas ab Aldo e codice Parisino reliquis praefixas esse dixi in aliis quoque („ad familiares") libris epistulae nonnullae desiderabantur. In Libro VIII (qui post nonum librum legebatur) ea deerant quae ab Ep. 8. 3—18, 10 hodie leguntur, ita ut post verba illa de Clitumni fonte „fons adhuc et jam amplissimum flumen, atque etiam navium patiens" sequerentur haec: ex. Ep. 18, 19: „eodemque quo emerat die instruxerit plurimis et antiquissimis statuis." Quare recte jam Beroaldus lacunam eo loco notaverat, non tamen potuit explere. Praeterea ex Libro nono omissa erat Ep. 16. Et ipsas illas epistulas non raro laudavit Budaeus, primus edidit Aldus.

Budaeus quidem [1]) ex Epistula VIII 13, 3 haec verba affert („Plinius igitur ad psosocerum libro nono episto"): „Neque enim ardentius tu pronepotes, quam ego liberos cupio, quibus videor a meo tuoque latere pronum ad honores iter et audita latius nomina et non subitas imagines relicturus. Nascantur modo et hunc nostrum dolorem gaudio mutent"; quibus haec addit: „Verum haec epistola et aliae non paucae in codicibus impressis non leguntur: nos integrum ferme Plinium habemus etc." [2])

---

[1]) Laudat Budaeus (quantum reperire potui) ex Libro VIII haec: Ep 10, 3; 14, 2; 14, 13; 14, 17; 14, 24; cfr. Hardy Journ. of Philol XVIII p. 103.

[2]) Annot. ad Pand. Ed. 1516 p. 32. *Ed.* 1508 *fol* 33. (Si Schaedel locum recte attulit cfr. quae supra de eodem diximus.)

Aldus autem libro suo et haec adscripsit: „Item fragmentatae epistolae integrae factae. In medio etiam epistolae libri octavi de Clitumno fonte non solum vertici calx additus, sed decem quoque epistolae; ac ex nono libro octavus factus et en octavo nonus; idque beneficio exemplaris correctissimi, et mirae ac potius venerandae vetustatis." [1])

Quod vero in Plinii et Trajani epistulis mutuis maligna negavit, in hisce benignior fortuna concessit. Etenim eaedem illae epistulae, in aliis omnibus, qui tum noti erant, codicibus omissae, felici fato inventae sunt in codice nobilissimo Mediceo (XLVII, 36), „qui unus omnium codicum, qui nunc supersunt novem epistularum libros continet usque ad noni quidem libri epistulam 26, 8". [2])

Qui codex non illas tantum quae ab Aldo primum editae sunt epistulas continet, sed et libros eodem ordine exhibet, quo Aldina Editio et codex ille Parisinus. Codex autem Mediceus, de quo disputamus, qui et, si Keilii disputationi fides habenda est [3]) solus Taciti libros quinque — vel potius sex — „ab excessu divi Augusti" servavit, anno 1508 ex Corbiensi monasterio in Italiam allatus est et a Joanne Maria Catanaeo in secunda sua editione anno 1518 primum expressus. [4])

Cum igitur huius optimi codicis lectiones cum Aldi editione et Budaei lemmatibus plerumque consentiant, magnum profecto inde pondus ipsorum auctoritati accedit.

---

[1]) cfr Keil ll. p XXI.
[2]) cfr. Keil ll p. VI.
[3]) cfr. Keil ll, p. VI, p. XXIV
[4]) cfr. Keil ll. p VII.

Ostendit enim liber ille Budaeum et Aldum (et Jucundum quoque) revera ea in codice Parisino legisse, et recte expressisse; verbo, confirmat et ipsorum scientiam et fidem, quae duo omnium sane maxime in teste solent quaeri. Quem ergo in libri VIII epistulis veracem esse aliunde cognovimus, cur in decimo libro ultro suspectum habeamus?

Accedit aliud. Nuperrime enim Oxoniae in celeberrima bibliotheca Bodleiana a doctissimo viro E G. Hardy liber inventus seu potius repertus est [1]), in quo omnes quas hodie novimus èt Plinii èt Trajani epistulae partim impressae, partim manu scriptae continentur. [2]) Cuius quidem libri lectiones, quae non raro et ab Aldina et ab aliis omnibus prioribus editionibus differunt, cum saepe aliis omnibus longe praestent, quinetiam non raro cum Budaei lemmatibus aut cum Mediceo codice (quo Catanaeum primum usum esse dixi), aut denique cum multo recentioribus doctorum virorum conjecturis conveniant, facile cernitur scriptorem et correctorem praesertim huius apographi (quem aut ipsum Jucundum, aut Jucundi librarium fuisse haud sine magna veritatis specie contendit Hardy) codicem Parisinum et recte legisse et egregie non raro emendasse.

Etsi vero fatorum malignitas illum Jucundi codicem, quo solo ad renascentium litterarum aetatem Plinii et Trajani epistulae servatae sunt, misere nobis eripuit, unum tamen huius libri testem saeculo 15 longe antiquiorem felicior fortuna nuperrime nobis restituit. Liber enim manuscriptus Riccardianus n°. 488 (saeculi IX vel X) qui

---

[1]) cfr E. G Hardy in Journ of philol. Tom. XVII pp 95—108 et et eiusdem Ed. Plin. pp. 68—72.

[2]) Ceterum de tota hac re in appendice copiosius disputabimus.

Plinii epistulas Lib. I. 1—V. 6, (excepta Ep. IV. 26) continet, a Longolio quondam editioni suae adhibitus, et anno 1829 a v. d. Lud. de Ian inspectus est: postea vero furto ablatus per annos amplius quinquaginta omnes qui deinceps fuere editores latuit.

Hunc vero nuper in bibliotheca Asburnhamensi reperit v. d. L Havet [1]); eundem codicem Florentiam reportatum, diligenter inspexit et descripsit v. d. Th. Stangl, qui codicum Riccardiani (R) et Marciani (F) qui inter se cognati videntur: hoc quasi stemma confecit [2]):

x

continebat Plinii Epp. Libb. I—X (inclus.)

|

x'

continebat Plin. Epp. Libb. I—V, 6 (saec. fere. IX)

| |

R. (saec. IX) *μ*

|

F

(saec. X. vel. XI.)

In illo porro codice haec inscriptio legitur:

C. Plini Caecili Secundi
Epistularum Libri numero decem
Incip Lib I Feliciter.

Dubitat sane Keilius, qui codicem, utpote tunc amissum, non ipse inspexit „num haec ita a vetere librario scripta sint", [3]) sed v. d. Stangl significat eundem librarium, qui codicem descripsit, et verba laudata addidisse. Habemus erga praeter Budaeum, Aldum, Jucundum libri

[1]) Bursian. Jahresbericht Tom. 35, p. 183.
[2]) Philologus. Tom 45 pp. 665 sqq.
[3]) Keil ll. p. XII.

huius auctorem ex saeculo IX vel X: unde luce clarius colligitur saeculo quintodecimo eundem non esse confictum.

Sed et auctorem omni codice manuscripto longe antiquiorem jam afferam, qui cum sit Plinio plane aequalis, de fraude ne cogitari quidem potest.

In Plinii epistulis ad Trajanum saepius legitur Moesiae (inferioris)legatus: Calpurnius Macer. Ab illo, Trajano auctore, libratorem petit Plinius [1]); ille Imperatoris jussu centurionem legionarium Byzantium miserat [2]); illum (forte ob hanc causam) Byzantinorum civitas quotannis publice salutabat. [3])

In Gyergyitza, Moldaviae monte „ab socero Michaelis principis (hodie Valachis) tum Moldavis imperitantis" reperta est tabula marmoris porphyretici cui titulus hic inscriptus erat: [4])

IMP· CAES· DIV*i*· FIL
NERVAE· TRAIANO
AV*g*. GER· DACICO
PONT· MAX *tr*IB· POT
XVI· IMP VI CO*s* VI· P· P
P. CALPVRNIO· MACRO
CAVLIO· RVFO· LEG· AVG PRO· P*r* [5])

---

[1]) T. 42, 61, 62.
[2]) T. 77.
[3]) T 43.
[4]) C I L.· III n. 777.
[5]) Haec est lectio quam Mommsenus ex Kantemir: „Beschreibung der Moldau" p. 58 et Timon: „Imago antiquae et novae Hungariae" pp. 20, 22, eruit, quae, licet in nonnullis minoris momenti rebus sit incerta, in iis tamen quae huc pertinent, dubii nil relinquit. Tabulam illam Timon (II.) in oppidum Jassi translatam et ad murum palatii Voivodae eiusdem (Michaelis) vel soceri eius adfixam esse testatur. Postea Gerginam, ad confluentem Danubii et Serethis delata videtur esse; quo vero postea perducta sit ignoratur.

Quae inscriptio, quam ad annum 112 p Chr. referendam esse docuit Mommsenus, cum egregie ad illa congruat, quae in laudatis de eodem Calpurnio Macro leguntur, quis non intellegit libri *αὐθεντίαν* hoc titulo evidentissime demonstrari? Cum enim haec tabula, quae sola — si epistulas laudatas excipias — legationem Calpurnii Macri memoriae prodidit, longe post editas Plinii epistulas inventa sit, falsarius, si quis fuit, unde tam acute nomen legati Moesiae colligere potuit? Legitur quidem Calpurnius Macer Ep. V. 18, sed ea ne levissimum quidem indicium praebet, praefuisse illum Provinciae Moesiae.

Quae cum ita sint, gravissimorum virorum fides incorruptissimo lapidis testimonio confirmatur.

Lapidi clarissimi scriptoris Plinioque paene supparis auctoritatem addere liceat. De cuius fide, quae in alia quacumque causa per se sola satis valuisset in hac autem a viris doctis nonnullis immerito in dubium vocatur, uberius mox disputabo; hoc loco illud unum adnotasse sufficiat, Tertullianum, egregium illud Christianae Religionis lumen, qui ca. annum p. Chr. 200 — nondum centum annis post Plinii legationem elapsis — in Africa floruit, in praeclaro illo libro, quem Apologetici nomine inscripsit, ex Plinii epistulis notissimam illam de Christianis, una cum Imperatoris Trajani responso, paene ipsis verbis adferre, et copiose de Caesaris rescripto disputare. [1])

Quod quidem quantum valeat ad illius epistulae *αὐθεντίαν* demonstrandam postea ostendam, nunc inde hoc unum idque meo jure colligere mihi videor, Tertulliani

---

[1]) Apolog. c 2.

aetate in Africa notas vulgo fuisse Plinii ad Imperatorem epistulas easque proinde saeculo XV non esse confictas. Ceterum hic Tertulliani tantum verba cum Plinii Trajanique epistulis collata apponam, ne tantae auctoritatis scriptor debito loco desiderari videatur.

Tertull. Apol. C 2 Ed. Oehler.

Plinius . . . Secundus, cum Provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Trajanum imperatorem, allegans praeter obstinationem non sacrificandi nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo et Deo, et ad confoederandam disciplinam: homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cetera scelera prohibentes.

Tunc Trajanus rescripsit, hoc genus inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere.

Plin Ep. 96. Ed. Keil.

Interrogavi ipsos, an essent Christiani. Confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus, perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri . . . Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne depositum appellati abnegarent. . . Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum . . . ."

Trajan. Ep. 97. Ed. Keil.

. . . . Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt . . . .

Satis haec — ut cum Aldo loquar — vel suspicacioribus esse opinor, ad libri de quo agimus fidem manifesto comprobandam: ut vero id quod intendimus vel magis, si fieri potest, liqueat, jam ad interna, quae vocantur, argumenta transeamus. Etenim, si quis ipsas epistulas diligenter consideraverit, facile cum scribendi genere, tum vero iis quae continent, eas originem suam prae se ferre intelleget.

Licet enim, ut jam monuerat Aldus, primo aspectu ab aliis Plinii epistulis haud parum distare videantur, huius discrepantiae nullo negotio ratio redditur. Non solum namque alias epistulas scribebat Plinius ad amicos dignitate aequales illos plerumque, aut etiam „minores", has vero ad Caesarem, summum illum Imperii Romani si „non dominum" attamen „parentem", [1]) ad quem longe alia ratione scribendum fuisse nemo non videt, cum praesertim epistulas „negotiales" quas vocabant, non rebus magis quam scribendi genere ab epistulis ad familiares scriptis Grammatici veteres solerent distinguere, [2]) sed et de aliis plerumque rebus, factis, hominibus in his epistulis quam in novem „ad familiares" libris agit, ita ut mirandum profecto non sit et alia vocabula saepe in hoc libro legi.

Accedit quod, ut jam significavi, liber non ab ipso Plinio, sed ab amico aut liberto videtur esse editus, qui forte non eadem cura omnia correxit et emendavit, qua Plinius in aliis libris usus erat.

Sed hac tamen ipsae epistulae, in multis quae ad dicendi genus pertinent, cum aliis Plinii scriptis conveniunt, ut vel ob hanc rationem ab eodem auctore profecta esse

---

[1]) cfr. Pan c. 2 „Non de domino sed de parente loquimur."
[2]) cfr C. Jul. Victor Ars Rhetorica c. 27 de Epistolis.

videantur. Exemplorum bene magnam copiam affere possum, ex quibus nonnulla tantum in ima pagina subjunxi. [1])

Multo magis vero idem ex epistularum argumentis intelligitur. Non raro enim iidem in hoc libro homines commemorantur de quibus in reliquis scripsit, (ut prosocer Plinii Calpurnius Fabatus, Suetonius, Servianus, Marius Priscus, Voconius Romanus, Bassus alii) de eisdem factis

---

[1]) Ex multis pauca quae ex libro J. P. Lagergren De vita et elocutione C. Plinii Caec Secundi Upsala 1871 attuli:

ordinatio (= dispositio, institutio ordo) T. 8, 6: „debebo.... indulgentiae tuae status ordinationem."
cfr. Ep. IX, 28, 4: cum certius de vitae nostrae ordinatione audieris."
cfr. et Pan. 72 „ordinatio comitiorum."

mensura (= modus, ratio) T. 51, 2: „mensuram beneficii tui penitus intellego."
cfr. Ep. VIII 17, 6: „ne quid istic pro mensura periculi vereor."

dies feriatus T. 8, 3, „Sequens mensis complures dies feriatos habet."
cfr Ep. III 14, 6. „Dies feriatus patitur plura contexi."

fortis (de firmitate corporis et valetudine) T. 1, 2: „Fortem te et hilarem opto" et T. 88 „incolumis et fortis."
cfr. Ep IV 1, 7: „Contingat modo te filiamque tuam fortes invenire." et Ep. IV 21, 4: „Si hunc saltem fortem et incolumem.... fortuna servaverit."

subsigno (= subscribo, confirmo) T. 4. 4: „Subsigno apud te fidem pro moribus Romani mei."
cfr. Ep III 1, 12: „Idque jam nunc apud te subsigno."

amplio (= augeo, amplifico T. 70, 1 „Ipsa civitas amplietur."
cfr. Pan. 54: „de ampliando numero gladiatorum consulebamur."

desolo (= desero, relinquo) T. 96, 10: „desolata templa."
cfr. Ep IV 21, 3 „domum desolatus fulcit et sustinet."

distringo T. 19, 1: „vereor ne.... non exiguum militum numerum haec cura distringat."
cfr. Ep I 10, 9: „distringor officio" Ep. III 5, 19 „Quem officia destringunt" (passim)

Item: *exigo rationem* T. 81, 1 cfr Ep. II 19, 9: *reluctari* (de ventis dictum) T. 15 Pan. 81. *revocare pecunias* T. 17, 5; 23, 2; cfr. Ep III 9. 17; *et alioqui* (quo solus Plinius videtur usus. cfr Hand. Tursell. p. 238 ap Lagergren) T. 33, 2 cfr. Pan. 45, 53, 68, 70. Ep. II 15, 2. III 9, 19. etc.

mentio fit (ut de militia Plinii, itinere in Tuscos, auguratu, praefecturis aerarii etc.) et in hisce eadem plane indoles, idem, quem vocant, character elucet, quem ex aliis epistulis multis cognovimus.

Idem in Imperatoris responsis observare licet; omnino enim et haec cum aliunde cognitis Trajani moribus consonant. Accurata denique universae illius aetatis notitia, quae in multis huius libri epistulis cernitur, manifesto ostendit talem librum a falsario confingi non potuisse.

Quae omnia ut paucis saltem exemplis illustrem; quis benignum et mitem Plinii animum non agnoscit, qui erga omnes, vel servos suos: „πατὴρ ὣς ἤπιος ἦεν," [1]) quis illum, inquam, mon agnoscit ex iis quae de miseris illis hominibus scribit, qui, cum essent olim capitis damnati, inter servos publicos reperiebantur, [2]) aut de servis illis inter tirones inventis, [3]) aut demum, ne plura afferam, vel ex iis quae de Christianis ad Trajanum retulit, iniquus ille quidem et levis judex, plurimis tamen eiusdem aetatis provinciarum rectoribus idem longe clementior? [4])

Eadem porro erga amicos, clientes, servos comitas et officiosa voluntas; [5]) par in administranda provincia diligentia, qua antea praefecturam aerarii gesserat; par pecuniae publicae cura; [6]) idem denique cernitur angustus et timidus animus, non minus in legatione quam in poematum recitatione anxius, qui de minima quaque re imperatoris voluntatem sollicite exquirit, ita ut nonnullis

---

[1]) Ep. V. 19. [2]) T. 31.
[3]) T. 29. [4]) T. 96.
[5]) cfr. T. 4, 5, 6, 10, 11, 12. 26, 94, 104, 106.
[6]) cfr. T. 17, A, B, 23, 39, 43, 54, passim coll. cum Ep. I 10 etc.

viris doctis ne provinciae quidem regendae aptus fuisse videatur. [1])

Aeque denique, quod praesertim hoc loco videtur observandum, aeque juris publici ignarum hae epistulae Plinium exhibent, atque ex aliis libris fuisse intellegitur, quo factum est, ut in rebus multis, quas vel hodie viri docti egregie norunt, vir consularis, idemque magnae provinciae legatus, anceps haereret. [2])

Quae omnia, ut jam dixi, cum illis quae ex novem ad familiares libris de Plinii indole moribusque colligimus ita conveniunt, ut eundem auctorem prae se ferre videantur.

Idem quoque ex illis efficitur, quae de universo Romani Imperii statu hoc libro memoriae produntur; praesertim ea quae ostendunt, qua ratione Imperator Trajanus rempublicam administraverit.

Summam curam de militibus eum habuisse auctor est Dio Cassius, [3]) aliique scriptores (ipse etiam Plinius in Panegyrico) confirmant: — quod ipsum in hisce quoque epistulis cernitur, quarum haud paucae ad rem militarem spectant.

Abhoruisse prudentissimum Imperatorem ab insano illo

---

[1]) cfr. T 39, 49, 68. 81, 98, coll. cum: Ep. I 23, V 12, IX 34 etc.; cfr. Schaedel p. 4. Quare Imperatorem talem potissimum virum elegisse crediderim qui omnia — vel minima — ad ipsius nutum perageret.

[2]) cfr. T 6. coll. cum Ep. VIII 14. — Quare immerito en hisce Schaedel ll. dubitandi quasdam rationes protulit. Liquet enim ex aliis epistularum libris eum non peritiorem fuisse juris quam hoc loco apparet cfr. Arnold pp. 39 sq.

[3]) Dio Cass. 68, 3, cfr. Plin. Pan. 6 et passim coll. cum T. 19, 20, 21, 22, 27, 28, 29, 30, 88 etc. vide De la Berge ll c 12, Armée pp. 145—149. — J. Dierauer „Beitrage zu einer Kritischen Geschichte Trajans", Leipzig. Teubner. 1868 pp. 116 sq.

studio una lege omnia, vel dissimilia quaeque definiendi Capitolinus [1]) significat; id ipsum huius libri epistulae bene multae testantur. [2]) Infinitam aedificandi cupiditatem, qua Urbem Romam tot tantisque monumentis operibusque ornavit, egregie epistula illa ostendit, qua Plinio, architectum petenti, respondit, „se vix iis operibus quae Romae fiant sufficienter architectos habere," et „mensores vel ex Graecia Romam solere venire." [3]) Idem in aliis rebus haud paucis (ut viarum cura, delatorum odio cet.) cernitur, de quibus quae alii scriptores narrant, cum hisce epistulis plane conveniunt: [4]) decretum quoque unum alterumve, quod in Digestis sub Imperatoris Trajani nomine fertur in hoc libro confirmatur et illustratur. [5]). Quae cum ita sint, haud immerito vir doctissimus Arnold: „Heute dürfte allgemein zugestanden werden, dass man eher die neun anderen Bücher, als dieses zehnte habe fälschen können, in welchem sich die genaueste Kenntniss der minutiösesten Détails der Römischen Verwaltung ausspricht." [6])

At, quoniam ex hisce nonnulla adversus Ussingium data opera sum executurus, paucis ea hoc loco attigisse potius quam peregisse sufficiat.

---

[1]) Vita Macrini c. 13: „Quum Trajanus numquam libellis responderit, ne ad alias causas facta praeferrentur quae ad gratiam composita viderentur." De hoc loco infra iterum disputabimus.

[2]) T. 93, 108, 113 cet

[3]) T. 18, 40 coll. cum Dierauer II. p. 129—151. De la Berge II. pp. 93—99

[4]) T. 45, 46, 64, 121, 122, cfr. de la Berge pp. 122 sqq., pp. 103—109; Dierauer pp. 127 sqq. T 82, 97, coll. Pan 34. 35, 42 passim.

[5]) T 40, coll. cum Dig 50, 12, 14.

[6]) Lic. Dr. C Franklin Arnold „Studien zur Geschichte der Plinianischen Christenverfolgung" p. 26 (in „Theol. Studien und Skizzen aus Ostpreussen") 1887 Königsberg.

Gravissimis argumentis quae adhuc protuli, quaeque sola profecto satis superque valent ad causam nostram comprobandam, alia quaedam addere juvat, quae, quamquam sua vi sane non carent, ideo tamen a prioribus separata exponam, quia ad confirmandum potius quam ad demonstrandum aptiora videntur.

Norunt omnes antiquarum litterarum studiosi, quanto opere posterioris aetatis (saeculi praes. IV, V, p Chr.) scriptores priscorum auctorum libros et imitari et compilare sint soliti: quae res in epistulographis, qui vocantur, una omnium maxime cernitur.

Quod ut demonstrem. ex Sidonio Apollinari locum afferre liceat, quem, quamvis primo aspectu adversari nobis aliquo modo videatur, laudare tamen non dubito, ut id quod cummaxime intendi, comprobem.

Is igitur scribit haec:

„Exigis ut, epistolarum priorum limite irrupto, stilus noster in ulteriora procurrat. . . . Addis et causas quibus hic liber nonus octo superiorum voluminibus adcrescat, eo quod C. Secundus, cuius nos orbitas sequi hoc opere pronuntias, paribus titulis opus epistolare determinet." [1])

Quid de novem illis, quos tantum videtur novisse Sidonius, Plinii libris sentiendum putem, mox aperiam, nunc illud unum me significasse contentus sum, quantum apud illius aetatis epistulographos Plinium imitandi studium fuerit, cum non tantum scribendi genus et modum, ut poterant, verum et librorum numerum assequi conarentur.

Inter aetatis illius viros doctos prae aliis multis nomi-

---

[1]) Sid. Apollinaris Ep. IX, 1

nandus est Q. Aurelius Symmachus, qui pari studio antiquas litteras et antiquam religionem sibi tuendam existimabat. Qui vir ob insignem doctrinam et ingenium subtile quanti vel ab adversariis suis factus sit, ex multorum testimoniis intellegitur. [1]) Scripsit autem et ipse, temporibus forte morem gerens epistularum libros, (quos filius videtur edidisse) et novem quidem eorum, quos ad amicos miserat, decimum subjunxit, quo „relationes" ipsius ad Theodosium, Honorium, Gratianum, Valentinianum aliosque Imperatores continentur, additis nonnullis Imperatoris Honorii responsis.

Id eum Plinii nostri imitandi studio fecisse multi viri docti existimant, [2]) neque illi quidem injuria Studiosissimum saltem ipsum fuisse Plinii videtur significasse Macrobius, cum haec scriberet:

„Quatuor sunt, inquit Eusebius, genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat; siccum, quod Frontoni adscribitur; pingue et floridum in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus gloriatur." [3]) Item Sidonius Apollinaris Symmachum Pliniumque una nominat:

„Symmachi rotunditatem, Gaii Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis praesumptuosis insecuturus." [4])

Quid mirum igitur, eum et in librorum numero et dispositione Plinium esse imitatum? Neque illud obstat, quod Sidonius Apollinaris eo loco quem supra laudavi novem

---

[1]) cfr. Migne Patrol Latin Tom. 18 col. 143 sq.

[2]) cfr. Schaedel II p. 8. Fabric. Bibl. Lat. Lib. II c. XXII cfr. Longol. Ed Plin. Praef.

[3]) Macrob. Sat. V, 1.

[4]) Sid. Apoll. Ep. I 1.

tantum Plinii libros videtur agnovisse. Nam, ut hoc omittam antiquarum litterarum non ita peritum fuisse Sidonium, ut ignorantiam talem magno opere miremur,[1]) facillime intellegimus librum illum seorsum editum proprio quoque titulo vulgo insignitum fuisse, ita ut novem epistularum libri (ad familiares) et praeterea epistularum ad Trajanum liber unus legeretur. Ita facile quoque intellegitur, qui factum sit ut unus tantum eiusdem decimi, qui vocatur, libri codex manuscriptus servatus sit. Hae enim epistulae cum saeculi IV et V lectorum palatis minus placerent neque vulgo tanti esse viderentur, longe rarius describebantur, sensimque in oblivionem abierunt. Quare rectissime fecit Keil, qui primus librum proprio titulo distinxit.

Dixerit quispiam haec omnia id tantum videri probare, librum de quo agimus extitisse saeculo XV exeunte, vel etiam initio saeculi III post Christum natum, cum Tertullianus Apologeticum scriberet. Forsitan falsarius quidam — Christianus nimirum — eo potissimum consilio totum librum confinxerit, ut illi luculentum Plinii de Christianis testimonium insereret; quidni ipsum Tertullianum fraudis huiusce reum peragamus?

Ad haec quid respondeam, dubium profecto non est. Etenim, ut ne dicam vix ullum antiquorum scriptorum librum inveniri, quem tali ratione — absurda sane — impugnare non possis, facile cernitur quot quantisque incommodis opinio talis laboret.

Quomodo enim falsarius vel in animum inducere potuit integrum notissimi scriptoris librum confingere, et illum

[1]) Majorem Plinium omnino non novit Sidonius nisi ex epistulis Plinii Junioris, quare eum nonnisi „avunculum" nominat.

quidem talem, in quo non ipsius tantum Plinii, sed Imperatoris quoque epistulae invenirentur, in Caesaris scriniis haud dubie servatae?

Quod cum sit per se parum credibile, vel eo minus fieri potuit, quod non Tertulliani tantum aetate, sed etiam satis diu ante — ut ex Frontone aliisque intellegitur — scribendi, dicendique ratio plane mutata est, ita ut longe de non Tulliana illa quidem, satis tamen bona latinitate harum litterarum recederet. Tertulliani vero elocutio quanto opere ab huius libri sermone differat ostendere opus non est. Itaque si liber ille a falsario compositus est, Plinio vix mortuo, et viventibus etiam tum atque florentibus multis ex Plinii amicissimis fingi debuit, quod quam sit vel cogitatu absurdum unusquisque intellegit.

Itaque, si Semlerum excipias, vix quemquam inter viros doctos inveneris, qui tam incredibili opinioni faveat, ut contendat librum universum saeculo secundo tertiove post Christum natum esse confictum, At, cum ex iis quae supra attulimus argumentis satis evidenter appareat neque saeculo XV vel XVI fraudem eandem committi potuisse, (de alio autem fraudis tempore cogitavit nemo) sequitur, ut librum universum verum germanumque esse statuamus.

Cum igitur, ut argumenta allata paucis repetam, libri huius αὐθεντία certissimis rationibus comprobetur: Jucundi, Budaei, Aldi, aliorumque aetatis illius doctissimorum auctoritate virorum et fide egregie spectata, codicis antiquissimi inscriptione, lapidis denique incorruptissimo testimonio; cumque eandem et posterioris aetatis scriptorum imitatio, interior quae in hoc libro cernitur illorum temporum notitia, virorum doctissimorum (huius saeculi) auctoritas

et exemplum, gravissimi denique auctoris paene aequalis Plinio testimonium inviete demonstrent: „librum decimum" a Plinio (Trajanoque) esse conscriptum vix quisquam serio negaverit.

Hinc facile efficitur Heldii sententiam penitus esse abjiciendam, et multa illa et gravia quae sibi videbatur attulisse argumenta, non id quod intendit demonstrare. Quare eadem hoc loco data opera refellenda esse non duco, praesertim cum v. d. Ussing pleraque jam egregie confutaverit.

Non sane nego fieri potuisse, ut is, qui librum post Plinii mortem edidit, aliqua immo haud pauca hic illic mutaret, demeret, forte et adderet, quae est Schaedelii sententia, [1]) sed haec universi libri sinceritati minime repugnant.

Quaerat quispiam cur universi libri αὐθεντίαν quam hac quidem aetate nemo neget, tanto argumentorum pondere asserendam putaverim. Cui me id eo consilio fecisse responderim ut faciliorem mihi ad reliquam disputationem viam munirem. Universi enim libri sinceritate necessarie demonstrata, leviorem de partibus mihi pugnam cum adversariis futuram esse existimo.

Quorum unum omnium validissimum et doctissimum, Ussingium dico, jam primum aggrediar. Qui, ut jam monui, Plinii epistularum αὐθεντίαν adversus Heldii aliorumque dubitationes egregie defendit, Trajani vero quae feruntur responsa non ab Imperatore sed a viro non illitterato, saeculo XV exeunte, esse conficta.

Argumenta Ussingii, quae paucis supra attigi, jam

---

[1]) Schaedel ll. p 4.

fusius paulo exponam. Etenim non sane sunt levia quae sententiae ipsius adversantur. Occurrit primo loco auctoritas haud parvi sane facienda Jucundi, Budaei, Aldi, qui librum inventum primi adhibuerunt et ediderunt. Occurrit Tertulliani locupletissimi auctoris testimonium et fides. Occurrit intima aetatis illius scientia quae et in Trajani responsis hisce elucet. Occurrit denique longe plurimorum doctorum virorum qui de epistulis illis disputarunt judicium, qui non Plinii tantum litteras verum et Trajani responsa non germana tantum esse affirmarunt, sed etiam summis laudibus extulerunt. Quae omnia hoc loco afferre quid attinet? Pauca tantum ex magna copia eligam.

Notum est Vignolii Marvilii de Trajani epistulis effatum: „Le dixième livre des épîtres du jeune Pline est le chef-d'oeuvre de ce grand homme. Ses autres lettres ont de grandes beautés, mais celles-ci, qui regardent le ministère sont incomparables, principalement, quand elles se trouvent accompagnées des réponses de Trajan, qui leur apportent un grand lustre Jamais rien ne m'a fait mieux connaître ce que les Rameins appelaient Imperatoria brevitas, que ces réponses si brèves et si sages. Si les purs esprits se mêlaient d'écrire, ils n'écriraient pas autrement. C'est là le plus haut point de la perfection". [1]).

A quo non multum discrepat v. d H. Francke, qui eruditam de Trajani vita commentationem conscripsit: „Seine Rescripte an Plinius sind Muster, nicht bloss der edelsten Gesinnung, der tiefsten Rechtsgelehrsamkeit und Staats-

---

[1]) Vignol. Marvil. Miscell. Hist. Litt. Tom. III p. 197 cfr. Longol Ed. Plin. praef (Ex Fabric. Bibl. Lat. L II c. 22).

weisheit, sondern auch der gebildetsten Sprache eines stets mit dem richtigsten Ausdruck die rechte Sache bezeichnenden geschäftsgewandten Hofmannes, und eines in der das Kleinste wie das Grösseste beachtenden Regierungskunst geübten Fürsten. Hohe sich selbst bewusste Würde und kordiales Vertrauen zu dem nie die zarte Scheide natürlicher Etikette übertretenden Freunde bilden eine seltene Vereiniging in dem berühmten Briefwechsel zwischen Trajan und Plinius, welcher der treueste Spiegel der Bildung wie des Characters Beider und zugleich mehrerer ihrer Zeitgenossen ist [1])."

Ne nostra quidem aetate viri docti plerique de Trajani rescriptis aliter senserunt:

„Trajans Rescripte sind nach Form und Inhalt von wahrhaft antiker Concision. Sie sind immer der Sache entsprechend und zeugen von einer merkwürdigen Fähigkeit sich aus dem gegebenen Momente heraus in die Lage des Anfragenden zu versetzen." [2]).

Multorum denique loco sit unus vir doctissimus Teuffel: „εἷς ἐμοὶ μύριοι".

„Die Antworten Trajans auf die Anfragen des Plinius sind von schlichter Kürze und treffendem Ausdruck." [3])

Ab hisce doctorum virorum sententiis magno opere discrepat Ussingii opinio, qui et scribendi genus quo Trajanus in illis usus est acerrime reprehendit, neque magis probat ea, quae in iisdem epistulis continentur. Sed jam videamus utri parti veritas favere videatur.

---

[1]) H. Francke: Zur Geschichte Trajan's und seiner Zeitgenossen" 2 Ausg. Quedlinburg u. Leipzig 1840, p. 670.

[2]) Dierauer II. p. 125 [3]) Teuffel Röm. Litt. Gesch. p 785.

Primum Ussingii argumentum ex rescriptorum exemplis petitur. Responsa enim ait esse obscura stultaque, saepe nihil illis proficere Plinium, quin etiam Plinii epistulas a Trajano vix videri intellectas [1]). Hanc sententiam multis exemplis allatis probare conatur. Quae quoniam plura sunt, quam quae singula examinare possimus, unum tantum alterumve exponere liceat, quo facilius omnem Ussingii rationem perspiciamus. In hisce enim fere valet illud: „ab uno disce omnes."

Nuntiat Trajano Plinius inter milites lectos, servos duos esse inventos et a Sempronio Caeliano ad se missos: quaerit ex Imperatore quid his se facere velit; nondum enim eos in numeros esse distributos, quamquam sacramentum jam dixerint [2]).

Ad haec ita respondet Trajanus: „Secundum mandata mea fecit Sempronius Caelianus mittendo ad te eos, de quibus cognosci oportebit an capitale supplicium meruisse videantur. Refert autem voluntarii se obtulerint, an lecti sint, vel etiam vicarii dati. (Si) lecti sunt, inquisitio peccavit; si vicarii dati, penes eos culpa est qui dederunt: si ipsi, cum haberent condicionis suae conscientiam, venerunt, animadvertendum in illos erit. Neque enim multum interest quod nondum per numeros distributi sunt. Ille enim dies quo primum probati sunt veritatem ab iis originis suae exegit." [3]).

Quid in hoc responso legentes tanto opere offendat, equidem, fateor, non intellego. Neque magis idem intelle-

---

1) Ussing II. pp. 21 seqq.
2) T 29
3) T 30.

erunt viri doctissimi Marquardt [1]) Dierauer [2]), De la Berge [3]), Revillout [4]), qui omnes hanc epistulam germanam esse duxerunt, quin etiam multa inde collegerunt, quae ad aetatis illius rem militarem explicandam perquam utilia sunt. Audiamus quid hac de re Ussing [5]).

E tribus illis quae proposuit Trajanus negat Imperatorem vel in animum inducere potuisse ut crederet servos illos a dominis suis vicarios datos esse „hoc enim (si tamen fieri potuit) culpam omnino a servis ad dominos transferret." Discrimen porro inter duo reliqua, si Ussingium audias, ineptissime factum est: „Videtur, inquit, existimasse, quicumque responsum finxit, delectum illum vi esse actum; sed in hac causa de vi ne cogitari quidem potest, quippe cum servi, si modo se servos esse significassent, eo ipso a delectu essent exclusi." „Voluntarii ergo servi illise obtulerunt."

„Si hoc est, inquit Psendo-Trajanus, animadvertendum in illoserit si [6]) (*saafremt*) nempe sciebant se esse servos." „At, inquit Ussing, quomodo talis ignorantia imperatori vel in mentem venire potuit? quae si fuisset, ne verbum

---

[1]) Marquardt Staatsverwaltung II pp. 539 seqq.

[2]) Dierauer ll. pp 121 sq.

[3]) De la Berge ll p 145 sq

[4]) Revillout De Romani Exercitus delectu et supplemento ab Actiaca pugna usque ad aevum Theodosi. Parisiis. 1849 p. 21.

[5]) Ussing ll p 10

[6]) Hoc non bene videtur intellexisse vir doctissimus. Non enim dicit Trajanus „*si* sciebant" sed „*cum* (= quamvis) haberent condicionis suae conscientiam etc."

Adnotat etiam Iperatorem non significasse qua poena essent afficiendi. Sed hoc profecto opus non erat, etenim: „Servi ab omni militia prohibentur, alio quin capite puniuntur" Dig. 49, 16, 11 Praeterea nominatim scribit Trajanus: „De quibus cognosci oportebit an *capitale supplicium* meruisse videantur."

quidem Plinius profecto ad Trajanum scripsisset." „Omnia haec, inquit, luce mihi clariora!" Mihi non item.

Etenim, ut ad primum quod reprehendit Ussing respondeam, fateor sane Trajani aetate vicariorum mentionem apud alios auctores non fieri [1]; sed hoc tamen profecto non impedit quominus epistulam germanam esse admittamus. Multa enim in antiquitatis historia sunt, quae uno tantum auctore credimus. Sed hoc, quod contendit Ussing: „id culpam a servis in dominos transferret", id ipsum Trajanus respondit: „Si vacarii dati, penes ipsos culpa est qui dederunt." Quid ergo carpit?

Sed neque alterum plus valet. Affirmat Ussing hoc loco de vi ne cogitari quidem posse, id ergo ab Imperatore stulte poni Sed facillime tamen fieri potuit ut servi illi licet non ultro se obtulissent, tamen nulla vi adhibita lecti essent, seu, ut juris consulti loquuntur, „se legi passi essent", et sive timore vel etiam spe ita reciperandae libertatis, cum non essent interrogati de condicione sua nihil manifestassent [2]).

Ad tertium veniamus: hac in re videtur Ussing, ut aiunt, nodos quaerere in scirpo. Nimium enim premit incisum illud: „cum haberent condicionis suae conscientiam", quod non tantum significat: „cum scirent se esse servos" sed etiam „cum scirent servis capitale esse si inter milites nomina dedissent" seu, ut dicunt „scientes et volentes".

---

[1]) Marquardt ll. cfr. et quae adnotat Hardy a. h. l. et quae affert ex Herme XIX 18

[2]) Etiam alibi discrimen fieri inter eos „qui voluntarii se obtulerint" et qui „se legi passi sint" patet ex Dig. 49, 16, 4, n⁰ 1: „Ad bestias datus si profugit et *militiae se dedit*, quandoque inventus capite puniendus est; idemque observandum in eo *qui se legi passus est*" ibid n⁰. 9. „Qui; post desertionem in aliam militiam *nomen dederunt legive passi* sunt, Imperator noster (*Trajanus*) rescripsit, et hos militariter puniendos."

Quod, etiamsi non ita frequenter factum esse existimem, fieri tamen profecto potuit. Nulla ergo videtur ratio, cur hanc epistulam ab Imperatore Trajano scriptam esse negemus.

Eiusdem fere farinae sunt, quae in aliis Trajani responsis carpit Ussing.

Non multo post scribet Plinius [1]): „Diplomata [2]), Domine, quorum dies praeteriit an omnino observari et quamdiu velis, rogo scribas, meque haesitatione liberes. Vereor enim ne in alterutram partem ignorantia lapsus, aut inlicita confirmem, aut necessaria impediam."

Respondit Trajanus [3]): „Diplomata quorum praeteritus est dies non debent esse in usu; ideo inter prima injungo mihi ut per omnes provincias ante mittam nova diplomata, quam desiderari possint."

Videtur mihi quidem Trajanus optime respondisse. Diplomata enim illa ad singularum provinciarum rectores (non utique ad illos qui cursu publico usuri erant) mittebantur, qui illos quibus reipublicae causa iter celerrime conficiendum erat (tabellarios, nonnumquam etiam privatos) „diplomate adjuvabant." [4]) Vetat igitur Trajanus hac epistula ne diplomata ad certam diem (puta Kal. Jan.) concessa, ultra illam diem in usu sint, ideoque sibi injungit „ut antequam desiderari possint nova mittat" (audi: ad provinciarum legatos). Quid Ussing? „Nescio, inquit, quid in his maximam admirationem moveat, vel quod scribit Im-

---

[1]) T. 45.

[2]) Diplomata litterae erant, ut hodie loquuntur, patentes quibus ad *certam diem* concedebatur licentia utendi „cursu publico" quem Trajanus, si non instituit multum tamen et auxit et perfecit cfr. de la Berge ll. pp. 121 sq. Dierauer ll. p. 116 nota 2 Friedländer SG. II pp. 14--22.

[3]) T. 46.

[4]) cfr. T. 64 et 120.

perator quasi sit: „Chef for Beforderinscontoiret" i. e. cursui publico praepositus, vel „omniscientia" (ut philosophi loquuntur) ipsius, quae omnes norit qui diplomatis uti aut debeant aut velint, vel tandem mira comitas, qua diplomata illa non rogatus miserit." [1]) Haec subtilius quam verius disputata esse vix quisquam negabit, cum praesertim omnia que protulit Ussing incredibili huic opinioni innitantur Imperatorem diplomata illa ad privatos homines, non vero ad Provinciarum legatos aut proconsules misisse.

Longe gravius est quod alio loco [2]) reprehendendum videtur Ussingio; quod licet ex omni parte enucleare me non posse ingenue fatear, eo minus hoc loco praetermittendum existimo, ne fugere adversarios quam superare videar maluisse.

Nemo nescit quam longe lateque apud antiquos valuerit pessimus ille mos infantes recens natos exponendi, quo fiebat ut multi miselli liberi ab impiis parentibus derelicti aut interirent, aut ab alienis hominibus, iisque saepe nequissimis sublati in servitute miserrima et turpissima educarentur." [3])

Hos autem sensim usus et consuetudo potius quam lex parentibus (aliisve) si essent agniti in libertatem vindicandos permiserat, ita tamen ut alimentorum pretium solveretur [4]): certum tamen quidquam et definitum — quod quidem per totum Romanum imperium valeret — constitutum nondum erat.

---

[1]) Ussing ll. p 12 [2]) T. 66
[3]) cfr Marquardt Privat-leben I p. 3, p. 83. Rein Privat-Recht pp. 485 sq.
[4]) cfr. Seneca Controv IV 26. „Expositum qui agnoverit solutis alimentis recipiat" sed ibid. V 33: „Expositi in nullo numero sunt: servi sunt; hoc legum latori visum est."
Quintilian Declam. 278. „Expositor petens cum forti X millia"

Quam ob rem cum lites saepe multis intenderentur, quaesivit ab Imperatore Plinius quid circa haec in Bithynia se agere vellet [1]. „In Constitutionibus enim principum, inquit, nihil inveniebam, aut proprium aut universale quod ad Bithynos referretur"

Esse quidem, ait, et recitari edicta et epistulas quasdam Augusti, Vespasiani, Titi et Domitiani, sed ea et incertae fidei videri, et ad alios potius esse data quam ad Bithynos [2]).

Ad haec ita respondet Trajanus:

„Quaestio ista, quae pertinet ad eos, qui liberi nati expositi, deinde sublati a quibusdam et in servitute educati sunt, saepe tractata est, nec quidquam invenitur in commentariis eorum principum qui ante me fuerunt quod ad omnes provincias sit constitutum. Epistolae sane sunt Domitiani ad Avidium Nigrinum et Armenium Brocchum, quae fortasse debeant observari; sed intra eas provincias de quibus rescripsit, inter quas non est Bithynia [3]); et ideo nec adsertionem denegandam iis qui ex eiusmodi causa in libertatem vindicabuntur puto, neque ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum." [4]).

---

[1]) T. 65

[2]) Quare addit Plinius: se ea Imperatori non misisse. Ex hisce verbis patet id moris fuisse Plinio ut ad Imperatorem senatus consulta et alia decreta mitteret, quae ad rem de qua „haereret" facere viderentur. Quare nil videtur reprehendendum esse in Ep. T 73 „si mihi senatus consultum miseris quod haesitationem tibi fecit etc." Fallitur ergo Ussing qui (II. p 11) in hisce quoque incredibilem stultitiam sibi videtur reprehendisse. cfr. et T. 79, 5 „Capita legis tum edictum Augusti litteris subjeci" et Hardy ad T. 73 p. 181

[3]) T 66.

[4]) Lectio huius responsi incerta valde; secutus sum nuperrimum editorem Hardy. Keil ita legit: „sed inter eas provincias de quibus rescripsit + inter quas est Bithynia".

Responsum hoc Ussingio nequaquam probatur: qui post alia quaedam, quae quia huc pertinere non videntur (neque ita facilia sunt intellectu) brevitatis gratia praetermitto, hoc praesertim reprehendit Trajanum iis „qui ex huiusmodi causa in libertatem vindicarentur" non libertatem solam concessisse, sed addidisse: „neque ipsam libertatem redimendam esse pretio alimentorum". Tale vero rescriptum et iniquum et stultum esse affirmat, immo ne exsequi Plinium quidem potuisse. Inde iterum — ut solet — efficit epistulam hanc cum aliis Trajani responsis germanam non esse sed a falsario confictam [1]).

Quaestio haec impedita sane est et difficilis, non tantum ob ea quae notavit Ussing, sed ob ipsam quoque rei de qua agitur obscuritatem. Etenim quae de quaestione illa apud antiquos scriptores legimus et paucissima sunt, et inter se haud parum diversa. Neque vero nos deteriore condicione utimur quam antiqui Juris consulti, inter quos de hac re non magis videtur convenisse.

Sed tamen ex quaestionis obscuritate inferre profecto non licet epistulam hanc a Trajano scribi non potuisse. Si enim ea omnia quorum rationem non illico percipias damnanda existimes, restat ut Harduinus ille ex inferis tibi excitandus esse videatur. Accedit quod falsarius ille Ussingii, qui, uti supra jam ostendi, aetatis illius leges moresque penitus nosset, multo cautius offensionem omnem, fraudisque suspicionem evitasset.

Sed, hoc omisso, ut ad quaestionem ipsam respondeam, fateor sane decretum illud Trajani, ne mihi quidem ex

---

[1]) Ussing II. p. 13

omni parte placere. Licet enim iniquum illud vocare non ausim, cum nequissimi illi homines qui misellos infantes sustulissent, poenis plerumque quam praemiis digniores essent [1]) non valde prudenter tamen Trajanum hoc statuisse ultro concesserim: non paucos enim hoc responso a tollendis educandisque expositis deterritos esse crediderim.

Quare et posteriores principes alia sibi statuenda esse duxerunt. Ita Constantinus Magnus: „Quicumque.... (expositum susceperit) eundem retineat sub eodem statu quem apud se recollectum voluerit agitare, hoc est sive filium, sive servum esse maluerit; omni repetitionis inquietudine penitus submovenda." [2])

Et Theodosius II: „Nullum dominis vel patronis repetendi aditum relinquimus" [3])

Justinianus demum, cum Christiana Religio per totum Imperium Romanum vigeret, pessimumque illum morem tantum non extinxisset, idem fere quod Trajanus constituit: „Sancimus.... neque his qui eos nutriendos sustulerunt, licentiam concedi.... eos tollere et educationem eorum

---

[1]) cfr. Marquardt II pp. 3 et 83

[2]) Cod Theodos. 5, 7, 1 Saepius Constantinus Magnus superiorum principum edicta (mitiora quam tempora patiebantur) abrogavit et priscas leges restituit cfr. Cod. Iust 4, 43, n^0 1: *Impp. Diocletianus et Maximianus* AA. et CC. Aureliae Papinianae „Liberos a parentibus neque venditionis neque donationis titulo neque pignoris jure aat quolibet alio modo..... in alium transferri posse manifesti juris est."

Sed ibid. n^0. 2: *Imp. Constantinus Aug.* provincialibus suis: „Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque victus filium filiamve sanguinolentos vendiderit, venditione in hoc tantum modo casu valente, emptor obtinendi eius servitii habeat facultatem. Liceat autem ipsi qui vendidit vel qui alienatus est aut cuilibet alii ad ingenuitatem propriam eum repetere, modo si aut pretium offerat quod potest valere aut mancipium pro huiusmodi praestet."

[3]) Cod. Theodos, 5, 7, 2.

procurare . . . . ut eos vel loco libertorum vel loco servorum . . . . habeant. Sed nullo discrimine habito hi qui ab huiusmodi hominibus educati sunt, liberi et ingenui appareant." [1])

Neque tamen vel id epistulam de qua agimus suppositam esse demonstrat. Quis enim ignorat quanta inter multas illas Imperii Romani provincias in omnibus rebus diversitas extiterit, ita ut, quod aliis prodesset, saepe noceret aliis Forsitan (quae est opinio de la Berge [2]) quocum facere videtur Hardy [3]) Trajanus et in Bithynia ingenuis liberis alimenta praebere voluerit, ut mos parvulos exponendi sensim tolleretur, vel aliis etiam remediis uti

Quod si quis haec nimis incerta esse contendat, et alia huius loci sanandi via patet, ut nodum nempe, quem solvere negatur, gladio praecidamus; neque id hoc quidem loco audacius quam rectius esse mihi videtur

Scribit enim Trajanus in ultima epistolae parte quam satis corruptam mihi videri jam monui: „Epistolae sane sunt Domitiani . . . . quae fortasse debeant observari: sed intra eas provincias de quibus rescripsit, intra quas non est Bithynia; et ideo nec assertionem negandam . . . . puto, neque ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum".

Quid si legamus: „Et ideo nec assertionem negandam . . . . puto *et* ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum"? Offensio omnis quam Trajani responsum quibusdam dedit illico tollitur. Ita enim Trajanus priscam, de qua supra

---

[1]) Cod. Inst. 51 (52) 3.
[2]) De la Berge ll. pp. 134 seq.
[3]) Hardy a. h. l. p. 175.

jam diximus, consuetudinem reducit. Non aegre ferendam esse mutationem levissimam in epistula quam omnes editores corruptam fateantur vix quemquam negare existimo; particulas vero: *nec* .... *et* non raro conjungi demonstrat Dräger, qui in utilissimo quem conscripsit libro plura huius locutionis exempla attulit [1]), quam facile vero pro „*nec* .... *et*" „*nec* .... *neque*" in textum inrepere potuerit neminem latet.

Accedit, quod hac emendatione admissa, totius orationis, quem vocant, contextus multo clarius faciliusque intellegitur. Quid enim dicit Trajanus? „Sunt quidem inquit de illa re edicta quaedam et rescripta Domitiani, sed ad Bithyniam provinciam ea data non sunt: *et ideo* .... quid? antiquas nimirum leges et consuetudines servandas puto." Haec unusquisque lector non indiligens ipse addiderit. Quidni ergo et Trajanum hoc ipsum scripsisse existimem, quod et illius aetatis moribus et sanae rationi congruat, omnemque offensionem tollat?

Sed de hac conjectura quidquid sentiendum est, non licet profecto ob hoc quod epistulam hanc, eamque satis corruptam, non plane intelligimus, eandem a Trajano conscriptam esse negare, et falsarii cuiusdam nomini (quod ignoramus) adscribere, qui omnia profecto incommoda illa et probe sensisset et prudenter cavisset

Ad leviora quaedam transeamus.

Mandaverat Imperator legato ut summam redituum publicorum curam haberet. Quare in ipso provinciae ingressu Prusensium reipublicae impendia, reditus, debitores

---

[1]) Dräger Histor. Syntax der Lat. Sprache. Ed. II Tom. II p. 86. § 326.

Plinius excutit [1]) (ea voce solet uti); idem mox Byzantii, Apameae, Amisi se fecisse narrat [2]). Qua in re diligentem et prudentem valde se Plinius praebuit: quae aerario reipublicae debebantur exigebat, expensa annua minuere conabatur, aedificia multa et alia opera, aut perperam incepta, aut temere derelicta, aut male exstructa reficienda et restituenda curabat. At, cum iis in rebus architectis et mensoribus Bithynicis fidem non haberet, saepius Imperatorem oravit, ut Roma sibi eiusmodi artifices mitteret [3])

Qua in re haud facile Trajanus legato gratum facere poterat, quia „mensores, inquit, vix etiam iis operibus quae aut Romae aut in proximo fiunt sufficienter habeo." Hortatur igitur legatum ut in ipsa Bithynia viros probos quaerat, quibus credi possit, quos in omni provincia inveniri posse ait: „modo velis diligenter excutere." [4]).

Id vero nequaquam videtur placuisse Plinio, si quidem saepius idem ab Imperatore efflagitat.

Niceae theatrum et gymnasium, Claudiopoli balineum ingenti quamvis pecunia, ita perperam tamen exstrui scribit, ut muri hiatus ducant et ruinam minentur. Theatro autem ex privatorum hominum promissis multa ornamenta deberi „quae, inquit, nunc omnia differuntur, cessante eo, quod prius peragendum est". [5]) Quare iterum Trajanum orat ut architectum sibi mittere velit qui dispiciat „utrum sit utilius post sumtum qui factus est quoquo modo consummare opera ut inchoata sunt, an quae videntur emendanda corrigere, quae transferenda transferre, ne,

[1]) T. 17 A. [2]) T. 43, 47, 92.
[3]) T. 17 B. [4]) T. 18. [5]) T. 39.

dum servare volumus quod inpensum est, male impendamus quod addendum est".

Ad haec Trajanus totam causam Plinii arbitrio permittit; architectum vero iterum in ipsa Bithynia eum quaerere jubet, etenim: „nulla, inquit, provincia est quae non peritos et ingeniosos homines habeat; modo ne existimes brevius esse ab urbe mitti, cum ex Graecia etiam ad nos venire soliti sint" [1]).

Quae, quamvis Ussingio [2]) vehementer displiceant, eo tamen minus spuria esse existimo, quod mox addit Trajanus: „Tunc autem a privatis exigi opera tibi curae sit, cum theatrum propter quod illa promissa sunt factum erit". Ea enim egregie cum illis conveniunt quae in Digestis legimus: „Pomponius libro sexto epistolarum et variarum lectionum: Si quis sui alienive honoris causa opus facturum se in aliqua civitate promiserit, ad perficiendum tam ipse quam heres eius ex constitutione *divi Trajani* obligatus est". [3])

At vero Plinius post tot irritos conatus idem petere non desistit. Jam ea, quae proxime sequitur, epistula se lacum haud longe a Nicomedia urbe distantem mari committere velle scribit quare „libratorem, inquit, vel architectum mittas, qui diligenter exploret, sit ne lacus altior mari etc." [4]).

Qua legati pertinacia victus Trajanus non tantum Plinio permittit ut libratorem a Calpurnio Macro inferioris Moesiae legato petat, sed et semetipsum „aliquem peritum eiusmodi operum" ipsi missurum pollicetur [5]).

---

[1]) T. 40. [2]) Ussing II. p. 9.
[3]) Digesta 50, 12, 14. [4]) T. 41. [5]) T. 42.

At, miseram Trajani sortem! qui ne ita quidem Ussingio placere possit: qui sordidus fuerat prodigus factus est: „etenim, inquit Ussing, alterutrum Plinius petiverat („libratorem vel architectum"), si ergo Calpurnius Macer libratorem mittet ad quid Trajanus artificem se daturum promittit?" [1]).

Non videtur scilicet meminisse vir doctissimus cum haec scriberet, eorum quae in alia epistula, (quam Plinio deberi rectissime contendit) leguntur: „verum et haec et alia multo sagacius conquiret explorabitque librator, quem plane, domine, debes mittere, ut polliceris". Unde certo certius colligitur Trajanum et se libratorem missurum significasse. Et, cum paucis interjectis addat Plinius: „ego interim Calpurnio Macro, clarissimo viro, auctore te scripsi, ut libratorem quam maxime idoneum mitteret", liquet profecto Trajanum Plinio fuisse auctorem ut a Calpurnio Macro quoque virum eiusmodi peteret. [2])

Quae cum et inter se et cum illis quae supra leguntur optime congruant. quid in hisce jure reprehendi possit, equidem me non videre confiteor.

In republica administranda omnino abhorrebat Trajanus ab insano illo studio, quo hodie haud pauci principes viri ducuntur; qui tum demum imperium regnumve recte sibi videntur instituisse, si omnes provincias, omnesque gentes, vel inter se diversissimas, iisdem legibus adstrinxerint [3]).

Nolebat prudentissimus imperator in tanto imperio „una

---

[1]) Ussing ll. pp. 12 seq. [2]) T. 61.
[3]) cfr. de la Berge ll. pp. 118 sq. et pp. 132 sq.

pertica" (ut ait Plinius) omnia tractare, nolebat quod aliis conveniret aliis temere imponere. Quae Trajani ratio inter Romanos adeo celebrabatur, ut vel Imperatorem Macrinum affirmasse narret Capitolinus „numquam eum (Trajanum) respondisse libellis, ne ad alias causas facta praeferrentur, quae ad gratiam composita viderentur". [1]) Quod quamquam falso putabat, cum haud pauca edicta et responsa Trajani in Digestis legantur, idem tamen egregie ostendit qualis Trajani fama apud posteros fuisse videatur. [2]) Id ipsum vero et in Trajani ad Plinium responsis frequenter cernitur: negat in universum a se posse statui utrum omnes qui decuriones in Bithynicis civitatibus fiant honorarium inferre debeant nec ne [3]); monet frequenter Plinium „sequenda esse exempla eorum qui .... provinciae praefuerunt" [4]), aut demum „ex cuiusque lege animadvertendum esse" respondet [5]). Multa quoque ipsi Plinio dijudicanda permittit [6]). Quod haud multum videtur placuisse Plinio, sed non magis Ussingio, qui hac quoque de re Imperatorem, vel potius Pseudo-Trajanum quem vocat, acerbe castigat [7]).

Sed haec non multum valere concedet quisquis epistulas laudatas cum Trajani responsis contulerit, quare brevitatis gratia et haec omittenda censeo.

Sequantur jam rescripta quaedam, e quibus Plinii epistulas Pseudo-Trajanum non recte intellexisse colligit Ussing.

Epistula T. 90 — ita fere ipse — Plinius petit ut liceat

---

[1]) Capitolin Macrin. C. 13.
[2]) cfr. de la Berge ll. p. 133. Francke zur Gesch. Trajan's pp. 366—507.
[3]) T. 113. [4]) T. 68. [5]) T. 109.
[6]) cfr. T. 76, 112, 117 et passim. [7]) Ussing ll. pp. 11, 14, 19.

Sinopensibus aquaeductum exstruere, addito, pecuniam non defuturam ad opus illud perficiendum. Responsi auctor, inquit Ussing, ex hisce alterum non intellexit: permittit enim ut exstruant aquaeductum sed addit „si modo (Sinopenses) et viribus suis assequi (possunt)" [1]).

Acutis, hercule! Ussingius cernit oculis — „quantum aquila aut serpens Epidaurius" — qui ex hoc responso eruit Trajanum Plinii epistulam non intellexisse: Petit Plinius ut coloniae Sinopensium liceat aedificare aquaeductum „pecunia, addit, curantibus nobis contracta non deerit"; respondet Trajanus: „Aedificet, si modo et [2]) viribus suis assequi potest". Quid non intellexerit Trajanus, equidem, fateor non intellego!

Neque gravius est quod T 47, 48 Ussing reprehendit: „Cum vellem, inquit Plinius, Apameae cognoscere publicos debitores et reditum et impendia, responsum est mihi cupere quidem universos ut a me rationes coloniae legerentur, nunquam tamen lectas esse ab ullo proconsulum, habuisse privilegium et vetustissimum morem arbitrio suo rem publicam administrare [3]) Exegi ut quae dicebant, quaeque recitabant libello complecterentur, quem tibi qualem acceperam misi, quamvis intellegerem pleraque ex illo ad id de quo quaeritur non pertinere. Te rogo ut mihi praeire [4]) digneris quid me putes observare debere. Vereor enim ne aut excessisse aut non implesse officii mei partes videar".

---

[1]) Ussing ll. p. 15.
[2]) Ita legit Avantius: Catanaeus: si modo *id* viribus suis assequi potest. Aldina (1508): si modo et viribus suis ipsa id assequi potest.
[3]) De hac constructione vide Döring et Longol. a h. l.
[4]) Ita Hardy ex Aldina (1508) et apographo Bodleiano, alii edd. praecipere.

Rescripsit Trajanus:

„Libellus Apameorum, quem epistulae tuae junxeras remisit mihi necessitatem perpendendi, qualia essent propter quae videri volunt eos qui pro consulibus hanc provinciam obtinuerunt abstinuisse inspectatione rationum suarum, cum, ipse ut eas inspiceres, non recusaverint. Remuneranda est igitur probitas eorum, ut jam nunc sciant hoc quod inspecturus es ex mea voluntate salvis quae habent privilegiis esse facturum [1]).

Praeter „barbarum illud scribendi genus", [2]) haec duo Ussingium offendunt:

1um. Non intellexit responsi auctor existimare Apameos, si de jure quaereretur rationes suas legato inspiciendas non esse, sed voluit eos remunerari ob probitatem, dicens cognitionem illam salvis *aliis* [3]) quae haberent privilegiis (de quibus ne mentio quidem facta erat) futuram".

2o. Omnium vero maxime offenditur Ussing eo quod scribit Trajanus: „libellum Apameorum remisisse sibi *necessitatem perpendendi* etc." quod absurdum plane esse contendit [4]).

Videtur mihi quidem Trajanus optime intellexisse Plinii epistulam, non vero Ussing responsum Trajani. Recte jam olim v.d. Döring a. h. l.:

„Der Sinn der Antwort scheint den Erklärern nicht

---

[1]) T. 48.

[2]) Non nego epistulam hanc non omnino ex grammaticae Tullianae praeceptis esse scriplam; sed satis tamen notum est altero post Christum saecul. liberiorem scribendi morem sensim voluisse. Ceterum ne Plini quidem epistulae quae in hoc libro leguntur tam accurate scriptae sunt, quam illae quae in reliquis libris continentur.

[3]) Hoc nequaquam dixit Trajanus, sed finxit Ussing.

[4]) Ussing II. p. 15.

durchgängig klar gewesen zu sein, obgleich sie ihn mit Stillschweigen übergehen. Trajan scheint auf die Gründe welche die Apameer für ihr angebliches Vorrecht vorbrachten nicht eben viel Gewicht gelegt zu haben, („videri volunt") allein, da sie selbst dem Plinius die Einsicht in ihre Rechnungen nicht verweigerten, so meint Trajan sich der weiteren Prüfung ihrer Gründe überheben zu können." [1])

Quo tamen probitatem i. e. obsequium eorum remuneretur addit Trajanus „jam nunc sciant hoc quod inspecturus es ex mea voluntate salvis quae habent privilegiis esse facturum" i. e. praejudicium nullum isdem allaturum (ita ut ulteriorem in privilegia inquisitionem in aliud tempus rejiciat. [2])

Quae cum ita sint quae protulit Ussing inania esse existimo.

Quoniam tria tantum huius generis exempla adfert Ussing, nullum ex his praetermittendum esse duxi, cum praesertim ex illis clarissime conspici possit, in quantos errores vel tantae eruditionis virum, praejudicata opinio induxerit.

Epistulam Plinii iterum integram una cum Trajani responso adscribam, quo facilius totius quaestionis natura intellegi queat.

„Petentibus quibusdam — ita scribit Plinius — ut sibi reliquias suorum aut propter injuriam vetustatis aut propter fluminis incursum aliaque his similia quaecumque secundum exemplum proconsulum transferre permitterem, quia scie-

---

[1]) In editione sua Epistul. Plinian a. h. l. Tom. II p. 339.
[2]) Ceterum cfr. et Hardy a. h. l. et Mommsen Staarsr. II p. 1035 n⁰. 1.

bam in urbe nostra ex eiusmodi causa collegium Pontificum adiri solere, te, domine, Maximum Pontificem consulendum putavi, quid observare me velis". [1]).

His ita respondet Trajanus:

„Durum est injungere necessitatem provincialibus Pontificum adeundorum, si reliquias suorum propter aliquas justas causas transferre ex loco in alium locum velint. Sequenda ergo potius tibi exempla sunt eorum qui isti provinciae praefuerunt, ex causa cuique ita aut permittendum aut negandum" [2]).

Miraberis mecum, amice lector, quid tandem in hoc rescripto perspicuo tamque benigno acutissimus ille Ussing reprehendendum invenerit. Jam audi, magisque mirabere. „De sepulcrorum translatione aliisque id genus — ita fere Ussing — Romae Pontificum collegio decernendum erat; quare non putabat Plinius se res tales transigere posse, quin ad Imperatorem, utpote Pontificem Maximum, illam referret Aperte et nominatim („tydlig") dicit jus decernendi de iis rebus in provinciis nequaquam penes Pontifices esse sed penes solum Pontificem Maximum. [3]) Responsi auctor nequaquam hoc intellexit, sed Trajanum respondentem inducit: „Durum est etc." Praeterea, ut solet, neque affirmat quidquam neque negat, sed Plinium ipsum ex cuiusque causa statuere jubet" [4]).

Haec Ussing. Taedet, ut verum fatear, taedet singula hoc loco percurrere ut ostendam quanta levitate in his tractandis Ussingius versatus sit. Nihilo minus tamen ob

---

[1]) T. 68. [2]) T. 69.
[3]) Hac in re fallitur Ussing.
[4]) Ussing II. p. 16.

magnam Ussingii auctoritatem ea quae disputavit diligentius perpendam.

Contendit Ussing scribere Plinium aperte et nominatim in provinciis eiusmodi res ad collegium Pontificum referendas non esse. Verum id nequaquam dicit Plinius (ut hoc quasi praeteriens adnotem) dicit tantum Romae de omnibus illis Pontificum collegium solere adiri, de provinciis nihil addit; neque enim id Plinius sciebat. Quare cum sit incertus quid agat, et ipse rem transigere non audeat, ad Pontificem Maximum i e ad Imperatorem refert, penes quem illa praesertim aetate summum in rebus sacris jus erat, ut ipse sibi praecipiat quid concedendum, quid sit negandum[1]) Qui prudentissime simul et humanissime respondet — quia nimirum Plinius de Pontificum collegio mentionem injecerat — durum esse in talibus cogere provinciales ut Pontifices adeant, quare totam rem legati arbitrio permittit Quod quidem rescriptum omnino ad ea congruit quae non ita multo post ex codice Justiniano valuisse novimus: „Imperator Antoninus A. Dionysiae: Si vi fluminis reliquiae filii tui continguntur vel alia justa et necessaria causa intervenit, aestimatione rectoris provinciae transferre eas in alium locum poteris" [2]).

Itaque nemini jam dubium videri existimo quin responsum hoc Trajano plane dignum sit. Nihil enim in eo invenitur quod illius aetatis rebus et institutis aliunde cognitis repugnet.

Sed cum haec mecum ipse reputarem, admiratus sum

---

[1]) De omnibus hisce sis confr. Marquardt. Staatsverw. III (Ed. 2) pp. 310 et p. 321 nota 1.

[2]) Cod. Inst. 3, 44, 1. Digesta, 9, 7, 8.

qualem tandem virum falsarium illum fuisse Ussingius sibi persuaserit. Antiqui enim juris omnisque illius aetatis indolis et consuetudinis satis peritum eum fuisse vix quisquam negaverit, qui responsa illa diligenter perpenderit; contra vero tam stultum et stupidum eum fuisse contendit Ussing ut ne facillima quidem intellexisse videatur. Nam ea ipsa quae hoc loco attulit Ussing non sane sunt intellectu admodum difficilia; haec igitur si non intellexit, vir litteratus, seu inlitteratus potius, ille quisquis tandem fuit, unde in ceteris tantam scientiam hausit; quomodo et in scribendi ratione ita sibi constare potuit ut omnibus viris doctis responsa illa ab eodem auctore scripta esse videantur? Sane ostendunt haec omnia quae adhuc disputavi, gravissima illa quae sibi videbatur attulisse Ussingius tanti ponderis non esse.

Sed jam nimis diu legentes in primo Ussingianorum argumentorum capite detinui. Quamquam enim minime omnia confutavi, ex adlatis tamen exemplis Ussingii judicandi ratio satis videtur posse perspici. Praejudicatis enim opinionibus ductus, vir ille ceteroquin doctissimus nodos et scrupulos non oblatos invenit, sed ultro quaesivit, et quidquid sibi primo aspectu non intellegere videbatur, id continuo tamquam spurium damnavit.

Cum vero nihil quidquam afferat, quod Trajani epistulis aperte repugnet, quid est quod, argutiis eius magno opere commoveamur?

Iam alterum argumentorum caput paucis expediamus, quod ex ipso scribendi genere petitum esse diximus. Quod scribendi genus tam barbarum et intolerabile esse contendit, ut eo Imperator Trajanus, quem suo jure lit-

terarum plane rudem et indoctum fuisse negat, omnino uti non potuerit [1]).

Ex multis, quae affert exemplis, nonnulla tantum diligentius expendere in animo est.

Initio ultimae totius libri epistulae leguntur haec [2]).

„Merito habuisti.... fiduciam animi mei nec dubitandum fuisse, si expectasses donec me consuleres." Haec intellegi posse Ussingius negat et recte negat [3]). Sed Keilius, Mommsenum fere secutus, ut alia multa ita et haec bene videtur emendasse: „Merito habuisti.... fiduciam animi mei nec dubitandum fuit (tibi facere, quae sero fecisses) si expectasses donec me consuleres etc." [4]) Talia vero, quae nimirum librariorum incuriae debentur non in his tantum epistulis, sed et in optimi cuiusque scriptoris codicibus inveniri nemo ignorat; neque tamen ideo de *αὐθεντία* dubitare solent viri docti.

Similiter T. 50: „Potes.... si loci positio videtur desiderare aedem matris deum transferre *in eam*, quae est accommodatior." Adnotat Ussing: pro: „in eum locum qui est accomodatior." [5]) Sed ne illa quidem facillima emen-

---

[1]) Ussing. p. 21. Ceterum recte Il. Ussing adnotat epistulas illas non ab ipso Imperatore videri scriptas sed ab eo qui ipsi erat ab Epistulis. Quo munere Domitiano, Nerva, Trajano Imperatoribus Cn. Octavius Titinius Capito fungebatur cfr. L. Friedländer „Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms." Tom. I pp. 98 et 163 sq.

[2]) T. 121. [3]) Ussing Il. p. 21.

[4]) Adnotat Keil in apparatu Critico:
Mommsen: „nec dubitandum fuit tibi facere quae sero fecisses si expectasses."
Avantius: „nec dubitandum fuisse si expectasset."
Beroaldus: „nec dubitandum fuisse si expectasses."
Catanaeus: „non dubitandum fuisse si expectasses."
Aldus: „nec dubitandum fuisset. si expectasses" quibus adde:
Hardy: „quae dubitanda fuisset si expectasses."

[5]) Ussing ibid.

datio de necessitate videtur requiri; τὸ eam enim cur non potest referri ad τὸ „positio". Videtur idem sensisse Keil, qui locum intactum reliquit.

T. 3 B. „Obsequium amplissimi ordinis quod justissime exigebat praestando." cet. „Scribere debuit, inquit Ussing: „quod obsequium amplissimo ordini in ea re quam justissime exigebat praestitisti." [1]) Sed et hic nimis acutis oculis Ussingius in errorem videtur inductus. Rectissime adnotat Döring: „Nach der bekannten Fähigkeit der meisten Substantiva active und passive Bedeutung anzunehmen, hat auch der Genetiv zu obsequium in dem Sinne „Nachgiebigkeit welche man dem Senate schuldig ist" nichts Auffälliges " [2]) Ceterum, si qua etiam videretur adesse offensis, ea facillime tolli posset mutando: „amplissimi ordinis" in „amplissimo ordini."

Plura his fere similia Ussingius affert ut scribendi „barbariem" ostendat, sed pleraque aut levissima mutatione facile emendantur, aut satis cum per se, tum aliorum scriptorum auctoritate defenduntur.

Ita Ep. T. 117. „Sed ego ideo prudentiam tuam elegi, ut *formandis* istius provinciae moribus ipse moderareris", offensio omnis, si qua est tollitur deleta voce: *formandis*, quae explicationis gratia in margine forte adscripta, in textum facillime inrepere potuit.

Verbum „intribuendi" apud alios scriptores inveniri non equidem contendere ausim; sed cum apud Juris consultos

---

[1]) Ussing ibid.

[2]) Döring in Ed. Ep. Plin. a. h. l. Tom. II p. 304. cfr. et Tac. Dial. C 41 „in obsequium regentis parati."

frequenter legatur: „intributio", quid est, quod aptissimo huius verbi usu tanto opere offendamur [1]).

Quid tandem dicendum de hisce: „in inritum vindicari", [2]) aut „quantitas usurarum", [3]) „de officio foederis" (pro „ex foedere" [4]), quibus gravissime" indignatur Ussing?

Sane non is sum qui negem Trajani scribendi genus non esse tam elegans et concinnum quam Plinii, fateor in responsis illis nonnulla obscurius aut negligentius esse expressa, neque tamen concedo „tantum illa a Plinii scriptis distare, quantum barbariem medii aevi ab antiquorum temporum cultu." [5])

Omnia illa Ussingii argumenta hoc unum ostendunt, quantum sit dolendum nullum jam harum epistularum codicem manuscriptum exstare, quo adhibito haud pauca errata corrigi fortasse potuissent. [6]) Atque in hac quidem re eum Plinii et Trajani epistulis apte comparari possint Velleii Paterculi libri qui quot vitiis depravati sint atque corrupti notum est satis, cum et quo servati sint codex manuscriptus temporum injuria amisus sit.

Ad tertium Ussingii argumentum veniamus.

„Si condicionem quam vocant criticam („Kritiske vilkaar") spectes, inquit Ussing, tantum inter Plinii epi-

---

[1]) T. 24 cfr. Ulp. Dig. 49, 18, 4. — 50, 4, 6, n⁰. 4. — Paul. Dig. 50, 1, 22 n⁰. 7.

[2]) T. 111. [3]) T. 55. [4]) T. 93.

[5]) Ussing ll. p. 22.

[6]) Nonnumquam et palam errat Ussing ut cum p. 23 contendit: „privilegium" ea significatione adhibitum qua occurrit T. 47: „habuisse privilegium et vetustissimum morem arbitrio suo rempublicam administrare" (forte legendum: „administrandi") esse omnino *recens* (quare incisum illud ex Plinii epistula ejicit) cum tamen dicat Paulus: Sent. V 12, 10 „*Privilegium fisci* est inter omnes creditores primum locum tenere" cfr. et Georges i. v.

stulas et Trajani rescripta diversitatem invenies, ut fieri non potuisse intellegas, ut una Plinii epistulae cum Imperatoгis responsis servatae sint." [1])

In responsis enim Trajani textum ait esse corruptissimum, non vero in Plinii epistulis: — in his contra lacunas esse frequentes, [2]) in Trajani rescriptis nonnisi duobus locis brevissimas lacunas inveniri. [3]) Sed haec vir doctissimus subtilius quam verius disputat: etenim, quas Keil aliique editores, in Trajani rescriptis lacunas recte notarunt, lacunas ipse revera esse negat et corruptis locis potius annumerat. [4]) Sed haec non multos viros doctos probare existimo.

Idem sentiendum de „emblematis" quae multa in Plinii epistulis deprehendisse sibi videtur, cum in Trajani rescriptis nulla inveniri contendat. Sed et haec doctissimum virum finxisse potius quam reperisse concedet, quisquis ipsos, de quibus disputat, locos diligenter consideraverit. Quae, quoniam ipse Ussingius vix ullo argumento addito protulit, et mihi in ima pagina adscribere sufficiat. [5]) Non enim operae pretium videtur in talibus diu immorari.

---

[1]) Ussing II. p. 23.

[2]) T. 23; 27; 41, 2; 56, 4. *Quatuor* ergo lacunas in 72 Plinii epistulis invenit, cum vel ipse *duos* saltem in 51 Trajani responsis reperiri concedat. Ut igitur haec omnia Ussingio concedam, facile intelligitur hoc argumentum parum valere.

[3]) T. 78 et 115.

[4]) cfr. T. 34, 44, 80, 121. (De Hardyi ex apographo Bodleiano emendationibus infra disputabo).

[5]) T. 86, A contendit Ussing legendum esse: „Gabium Bassum ... voto pariter et suffragio prosequor, ad ea, quae speret instructum commilitio tuo", ita ut duas epistulas T. 86 *A* et *B* in unam conjungat, deletis ultimis verbis T. 86 A „ea fide quam tibi debeo" quae ex ultimorum sequentis epistulae verborum repetitione huc inlata esse contendit. At vero tota illa (vel potius utraque illa) epistula corrupta est valde, neque Ussingii lectio aliis multum videtur praestare.

Quae cum ita sint argumenta Ussingii, non tantum videntur valere, ut Jucundi Veronensis aliorumque gravissimorum virorum auctoritatem infringere possint; cum praesertim, ut jam non semel monuimus, iterumque hoc loco — summi est enim in hac quaestione momenti — monere lubet, rescripta illa et cognitis Trajani moribus egregie congruant, et in multis intimam scriptoris cum rerum tum hominum aetatis illius notitiam ostendant.[1]) Quare et Trajani epistulas si universae considerentur sinceras esse, haud levibus argumentis demonstratum esse existimo.

Restat jam ultima eademque gravissima et difficillima huius disputationis pars. Cum enim plerique, ac tantum non omnes viri docti, hac quidem aetate ea quae supra de universo libro et de Trajani epistulis „in genere" (ut dicunt philosophi) consideratis disseruimus ultro concedant, illam tamen quam de Christianorum causa ad Imperatorem Plinius scripsit, itemque Trajani responsum nonnulli excipiunt et multas, easque haud spernendas rationes adtulerunt, quibus sibi efficere visi sunt, aut etiam nunc videntur, epistulam illam aut utramque aut saltem alter-

---

T. 15. Hoc loco (recte fortasse) ejecit Ussing: „quamvis contrariis ventis retentus" quae verba en T. 17A ipsi videntur irrepsisse, cum T. 15 narret Plinius „se usque Ephesum saluberrimam navigationem expertum esse".

T. 81, 6 delendum censet: „qui Eumolpo sicut Prusiade adsistebat." Item epistulam Domitiani ad Terentium Maximum quae epistulae eidem subjungitur: („meget mistaenkelig ved deres Ufuldstaendighed.")

T. 47, delet: „habuisse privilegium.... administrare."

T. 65, 2 „ „quod ad Bithynos ferretur" (Keil: referretur)

T. 26, 2 „ „et si quid mihi credis."

T. 118, 1 „ „Scribo (Keil: servo, Mommsen: observo) iselastici nomine."

[1]) Quae Ussing contra Tertulliani auctoritatem disputat infra expendam.

utram, spuriam esse et ab impio falsario confictam. Quae quidem quaestio quoniam haud parvi momenti videtur, primum utramque epistulam integram hisce subjiciam, deinde utramque percurrendo, quae a nonnullis doctis viris adversus ipsas prolata sunt examinabo et, quantum potero, refellam.

Haec tamen praefari mihi liceat. Cum epistulae illae legantur in libro cuius sinceritas non tantum ab omnibus paene viris doctis admittatur, sed etiam, quod multo gravius, firmissimis argumentis invicte demonstretur, haud levibus profecto rationibus opus est, si quis eos suppositas fictaque esse demonstrare voluerit: [1])

1um. Etenim omnia quae universi libri *αὐθεντίαν* probant, et hac quaestione continentur.

2o. Cum porro vel adversariis nostris fatentibus litterae illae scribendi ratione cum reliquis et Plinii et Trajani epistulis optime conveniant: „le style de cette lettre n'a nulle partie dissonante, il est du meilleur Pline." [2])

3o. Cum hac ipsae epistulae prae reliquis omnibus aperte et nominatim a Tertulliano, et qui ipsum sequuntur: Eusebio Hieronymo aliisque commemorentur, ac tandem

4o. Cum ipsi illi viri docti quorum argumenta jam expendam inter se haud parum dissentiant. Unde colligendum videtur omnia illa quae protulerunt quam cautissime esse examinanda, ne, antiquis scriptoribus nimium diffisi a recentioribus in errorem inducamur. Sequantur jam epistulae saepe laudatae:

---

1) cfr. G. Boissier in „Revue archéologique Tom. 31 pp. 116 seq. (1876.
2) Aubé ll. p. 218 cfr. et Boissier ll. p. 123.

T. 96. C. Plinius Trajano Imperatori. [1])

„Solemne est mihi, domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui numquam: ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant, detur paenitentiae venia, an ei qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit, nomen ipsum, si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim *in* iis qui ad me tamquam Christiani deferebantur hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi supplicium minatus: perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens. Qui negabant esse se Christianos aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo, quorum nihil posse cogi dicuntur qui sunt re vera Christiani, dimittendos esse putavi. Alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt et mox

---

[1]) Secutus sum in hisce editionem Keilii: varias lectiones paucissimas apud nuperrinum editorem Hardy (Lond. 1889) ubi opus fuerit adnotabo.

negaverunt; fuisse quidem, sed desisse, [1]) quidam ante triennium, quidam ante plures annos, nonnemo etiam ante viginti. Hi quoque omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt et Christo male dixerunt. Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque *coeundi* ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium, quod ipsum facere desisse post edictum meum quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri et per tormenta quaerere. Nihil aliud inveni quam superstitionem pravam immodicam. Ideo dilata cognitione ad consulendum te decucurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat prope jam desolata templa coepisse celebrari et sacra sollemnia diu intermissa repeti pastumque venire victimarum, cuius adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari,

---

[1]) Hardy: „quidam ante plures annos, nonnemo etiam ante viginti quinque. Omnes" etc.

quae turba hominum emendari possit, si sit paenitentiae locus."

T. 97. Trajanus Plinio.

„Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum qui Christiani ad te delati fuerant secutus es. Neque enim in universum aliquid quod quasi certam formam habeat constitui potest Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando dis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex paenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli *in* nullo crimine locum habere debent, nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est."

Adversus has igitur litteras viri docti alii alia protulerunt. Post Semlerum cum suis, quos brevitatis causa omittimus, utramque epistulam impugnavit Heldius, quippe qui totum librum spurium esse duceret. Plinii epistulam Aubé,[1] Dejardins,[2] Dupuy[3] germanam esse negarunt, quum tandem Ussingius[4] solum Trajani rescriptum suppositum esse contendat. Hisce accedit aliquo modo de la Berge,[5] qui nonnullos quidem dubitandi causas sibi videtur invenisse, certi tamen quidquem affirmare non audet. E quibus Aubé (et Desjardins) Semleri vestigiis fere insistens Plinii epistulam cum aliunde cognitis illius aetatis factis, rebus, moribus congruere negat, Dupuy vero in-

---

[1]) Aubé Histoire des Persécutions pp. 207 seqq.

[2]) E Desjardins in „Revue des deux Mondes" 1874 Tom. 6 pp. 655 sq.

[3]) Dupuy in „Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux 1880. Tom. 2 pp. 182—196.

[4]) Ussing ll. p. 25.

[5]) Essai sur le règne de Trajan pp. 207 sqq.

sitam, ut ita dicam, in epistula repugnantiam sibi reperisse visus est, cum Aubé contendat se in eadem „nulle souture" (suturum nullam) invenire potuisse.

„Cognitionibus, scribit Plinius, de Christianis interfui numquam; ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri."

Prima statim epistulae verba carpit Aubé [1]), cui non hoc tantum parum videtur probabile jam ante Plinii aetatem fuisse „cognitiones de Christianis," sed hoc praesertim, si fuerint, easdem latere potuisse Plinium, ita ut nesciret: „quid et quatenus aut puniri soleret aut quaeri." Quod eo plus admirationis doctissimo viro movet, quod Plinius per triginta prope annos causas egerat, honores omnes gesserat, magnam patroni famam sibi comparaverat, atque ideo profecto cognitionibus illis (si habitae essent) aut interfuisset, aut saltem ex hominum sermone eas cognovisset.

„Rien n'est plus singulier en vérité."

At fuisse jam olim „cognitiones de Christianis" [2]) vel ex eo liquet, quod ipse Aubé fatetur Domitiano imperante aliquot saltem Christianos fuisse punitos. Qui, cum illa aetate in tenuioribus hominibus plerumque numerarentur, quid mirum si in eosdem non ab judicibus extra ordinem datis, sed ab ordinariis magistratibus, (tres viros capitales puta) sit quaesitum. Accedit quod, ut cum magna veritatis specie demonstravit Boissier, jam a Nerone Imperatore edictum adversus Christianos videtur fuisse propositum. [3])

---

[1]) Aubé ll. p. 210.

[2]) cfr. Rein Criminal-Recht pp. 890 sq.

[3]) cfr. Boissier Rev. Archéol. T. 31 pp. 118 sq. P. Allard Histoire des Persécutions" I pp. 161 et seq. Arnold ll. pp. 27 nota 3. Dupuy ll. p. 185 sq. Variot Rev. des Quest. Hist. Tom. 24 p. 133.

Neque gravius est alterum quod contendit Plinium cognitiones illas si extitissent ignorare non potuisse. Rectissime enim contra Semleri subtilitates monuerat Ussing, (cum quo hac in causa multi alii viri docti consentiunt) in viris juris vere peritos Plinium nequaquam esse numerandum. „Fuit, inquit Ussing, fuit Plinius scriptor diligens, magnae famae orator, vir bonus et probus, gratissimus idem Imperatori, sed juris consultus egregius et vir in republica administranda multum versatus nequaquam habendus est." [1]) Et, Dupuy, quem quia mox impugnabo, hoc loco eo libentius socium adhibeo: „on alléguera avec M. Aubé qu'il avait exercé toutes les charges publiques, y compris la préture et le consulat.... Mais aucune de ces assertions ne prévaut contre ce que Pline nous apprend lui-même de son ignorance du droit et de son aversion pour les affaires publiques, qui lui prenaient une part de sa vie (cfr. Ep. I 9, II 8). Enfin pour qui a lu la quatorzième lettre du huitième livre, il n'est pas douteux que... il avait reçu une instruction, une éducation juridique très-imparfaite. Quoi d'étonnant alors s'il n'a pas mieux connu les Chrétiens eux-mêmes que ne faisaient Tacite et Suétone" [2]).

Haec ille quidem recte, sed quae inde colligit vir idem doctissimus nequaquam mihi probantur. In cognitionibus enim illis quae de Christianis habitae essent plano hospitem eum fuisse contendit; hoc unum, si ipsum audias, novit

---

[1]) Ussing ll. p 5.

[2]) Dupuy ll. p. 185. Quibus addiderim Ep. T. 6, in qua epistula iterum Plinius „ignorantiam" suam fatetur. Scripta est autem epistula haec c. a. annum 98 p. Chr. n. cum Plinius plerosque honores praeturam, praefecturam aerarii jam gessisset.

Plinius: fuisse et olim cognitiones de Christianis, eosque esse punitos: sed qua poena, qua lege, quo crimine? haec omnino ignorat: „Pline ne sait qu'une chose: c'est qu'il y a une procédure contre les Chrétiens, puisqu'on les accuse; quelle est elle? il l'ignore." Et paucis interjectis: „ignorance complète de la procédure suivie contre Chrétiens." [1])

Haec vir doctissimus eo consilio affirmat, ut si in reliqua epistula quaedam inventa fuerint quae tam incredibili ignorantae adversentur, illico inferat ea spuria et supposita esse. Quare jam hoc loco operae pretium fuerit tam inauditam et incredibilem plane opinionem refellere. Et primum quidem etiam hic adnotare lubet quanto opere illi qui in hac epistula Aristarchos agere conantur inter se dissentiant. Aubeo Plinius videtur jurisconsultus egregius, qui cognitionis de Christianis habitas intime novit, Dupuy eundem tam stultum et ignarum sibi effingit, ut quae vel privatus quisque sciret, ea ipse prorsus ignorasse videatur.

Porro, etiamsi Plinius non multo melius Christianos nosset quam Suetonius et Tacitus, hoc tamen aeque atque ipsi sciebat, Christianos non tantum fuisse accusatos atque punitos sed vel Domitiano imperante capitali supplicio esse affectos. [2]) Accedit quod, cum in Syria, in qua provincia plurimos fuisse Christianos novimus, [3]) militaret, multo plus temporis philosophorum et rhetorum consuetudini quam rei militari impenderat, ita ut satis verisi-

---

[1]) Dupuy ll. p. 187.
[2]) cfr. Sueton, Domitian 12 cfr. et Claud 25 Neroc. 16.
[3]) cfr. Act. Apost. XI 21, 24, 26.

mile videatur eum saltem aliquatenus Christianorum religionem moresque vel fando audivisse, (una cum flagitiis quae illis vulgo affingebantur.)[1])

Sed, ut ipse scribit, „cognitionibus de Christianis numquam interfuerat", numquam ipse in illos quaesiverat, ita ut „quid et quatenus aut quaeri aut puniri soleret" nesciret. Sciebat hoc generatim et universe eos esse homines ob flagitia invisos et a prioribus Imperatoribus summis suppliciis affectos. Immo haud longe a veritate vero eum abesse crediderim qui contendat Plinium jam olim illud: „non licet esse Christianos" novisse, ita ut probe sciret omnes qui se Christianos esse faterentur summo supplicio esse puniendos.

Non igitur ignoratio illa Plinii in majus ita augenda est, ut facit Dupuy, ut negemus eum Christianos sibi oblatos capite plexisse, aut illis imperasse ut imagini imperatoris tus offerrent et male dicerent Christo: ea enim primis epistulae verbis nequaquam repugnant. Ignorat Plinius flagitia illa, quae Christianis ab adversariis affingebantur: infanticidia (ut Tertulliani vocabulo utar), incestus alia, quae sane olim ex populi quidem sermone exceperat, quum vero ex iis quos vel per tormenta interrogaverat nihil tale comperisset, merito commovebatur, suoque jure ad Imperatorem scripsit se (jam) nescire quid aut quatenus quaeri aut puniri soleret. At vero planam huius loci et facilem explicationem, quam ex universa epistula unusquisque sponte collegerit, nequaquam probat Dupuy: „la phrase n'admet aucune explication, étant par elle-même

---

[1]) cfr. Arnold ll. p. 28 et p. 38. Plin. Ep. VII 31, I 10.

très-claire et tres-explicite" [1]), sed talis interpretandi ratio quam sit insana quis non videt? Non enim licet sententiam unam ab orationis contextu avellere, avulsam atque, ut ita dicam, curtatam et mancam, ita exponere, ut quaecumque ex reliqua oratione explicandi causa suppeditentur rejicias, quae vero insanae interpretationi tuae adversentur spuria esse contendas. Hoc modo si quis alios auctores classicos enarrare paraverit, illi mox quod explicet jam non erit: omnia enim spuria habebit.

Sed haec de mira illa Puteani (eo nomine virum doctissimum apellare liceat) opinione dicta sufficiant, qui cum, quantum vidi, „sine rivali sua solus amet", non videtur sententiam suam multis viris doctis approbasse. Ceterum de aliis quoque huius epistulae locis saepius cum eodem res nobis erit.

Prima igitur Plinianae epistulaė paragraphus injuria a viris doctis nonnullis reprehenditur, aut etiam perperam explicatur; ad reliqua procedamus:

„Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant, detur paenitentiae venia, an ei qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit; nomen ipsum si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur."

Graviter hisce bonus offenditur Puteanus: „le fait que Pline demande s'il faut établir une différence entre les enfants et les hommes faits semble à bon droit bizarre.... il y a ici trâce de faux." Quare, amabo? „Ce qui révèle la main d'un Chrétien c'est l'idée du martyre..... qui

---

[1]) Dupuy II. p. 187.

entraine à la mort des enfants et des femmes." Talia apud barbaras sane gentes facta esse concedit, Plinium vero, mitissimum virum et humanissimum tam atrocia atque crudelia ne in animo quidem habuisse contendit. „La chose paraît tout-à-fait invraisemblable, et la première question que Pline adresse à l'empereur, est à notre avis un des arguments les plus forts contre l'authenticité de la lettre." [1])

Utinam legisset vir optimus quae Vossius noster jam ante hos ducentos annos de ea re scripsit: „Nempe, ut postea dicit Plinius: Multi omnis aetatis, addit etiam, utriusque sexus in periculum vocantur. Nihil ad veniam facere aetatem sensisse videntur imperatores Severus et Antoninus: In criminibus quidem aetatis suffragio minores non juvantur; etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. [2]) Ac mox subjunguntur Diocletiani et Maximiani verba: Licet in delictis aetate neminem excusari constet. [3]) Verum alii distinguere jubent quae aetas delicti sit capax; ac si quis sit infra annum 25, judicem aiunt flecti posse ad mitiorem poenam decernendam. Verba sunt enim Tryphonini: In delictis autem minor annis 25 non mereretur in integrum restitutionem, utique atrocioribus; nisi quatenus interdum miseratio aetatis ad mediocrem poenam judicem perduxerit. [4]) ..... Sed mihi videntur, pergit idem doctissimus vir, praesides provinciarum, saltem illi post Trajanum in causis Christianorum non multum ad haec attendisse. Nam apud Eusebium legimus in epistula

---

[1]) II. p 188

[2]) Cod. Inst. 2, 34, 1. [3]) ibid. n°. 2.

[4]) Tryphonin. in in 3° Disputat. Dig. 4, 4, 37.

Ecclesiae Lugdunensis [1]) ut saevitum sit in Blandinam et filium eius vix annos natum 15." [2])

Recte haec vir doctissimus. Cum, ut vel lippis et tonsoribus notum est, praesertim aetate illa inter Christianos plurimae essent mulieres liberique, ita ut nonnumquam adversarii (ut Celsus aliique) id vitio illis verterent, quis miretur inter illos qui ad Plinium tamquam Christiani deferebantur, et mulieres et parvulos inventos esse. Facillime igitur adducor ut credam „non mediocriter haesitasse" Plinium quid miseris illis faciendum esset, cum, uti ex locis a Vossio allatis apparet, excusationem aetatis Romani nequaquam universe admittere solerent. Nihil ergo in hisce, quod dubitationem habeat, invenio. Immo quod Plinius haesitaverit — alius certe non haesitasset — mihi ipsius et benigno animo tribuendum existimo. [3])

„Mais ce n'est pas tout, pergit Dupuy, cette phrase qui commence par une invraisemblaince, se termine par un non-sens!"

Quaerit ex Imperatore Plinius utrum: „nomen ipsum si flagitiis careat an flagitia cohaerentia nomini puniantur." Adhuc nemo, quantum scio, haec intellegi posse negaverat. Inter omnes paene viros doctos constat solum Christianum nomen condemnationis causam martyribus plerumque extitisse, neque multum inquisivisse magistratus Romanos in flagitia quae populi opinio illis affingebat,

---

1) Eusebius L V c. 1.

2) Vossius Operum Tom. IV p. 55.

3) Adnotat Döring a. h. l.: „Die Christlichen Schriftsteller klagen wiederholt dass man bei gerichtlicher Verfolgung der Bekenner ihres Glaubens nicht auf Geschlecht und Alter die billigen Rücksichten genommen habe, welche das Röm. Recht sonst in allen Fällen geltend macht."

quaeque vel Tacitus Suetonius alliique eiusdem aetatis clarissimi viri vera esse credebant, nemo tamen umquam vel viderat vel pro certo cognoverat. [1])

Quum autem Plinius multos Christianos diligentius interrogaret — etiam, ut mox addit, tormentis adhibitis — neque tamen quidquam inveniret, nisi inflexibilem obstinationem et immodicam superstitionem, coepit dubitare essentne vera quae rumore vulgi spargerentur, verene cum Christiano nomine *semper* flagitia cohaererent, et ideo interrogavit Imperatorem, essetne puniendum nomen ipsum si flagitiis careret, an tantum flagitia illa quae cum Christiano nomine cohaererent, i. e. cohaerere aut solerent aut possent.

Sententiam ita recte explicari et posse et debere, adhuc interpretes et editores quos vidi omnes agnoverunt. [2])

At vero vehementer hos omnes errasse pronuntiat Puteanus: verba enim illa non ita explicanda putat ut sanam sententiam eruat, sed potius anxie rimatur suum „non-sens" (sit venia verbo, quod latine verti vix potest!) ut spuria eadem habere possit. „Que punit-on, demande Pline, est-ce le nom lui-même, si aucun crime n'y est attaché, ou les crimes attachés à ce nom? L'opposition est trop fortement marquée entre: cohaerentia nomini flagitia et si flagitus careat, pour qu'on puisse traduire ces derniers mots ainsi: s'il n'est accompagné d'aucun crime. Le texte oppose bien l'un à l'autre le nom

---

[1]) cfr. Tertull. Apolog. *passim* et Boissier. Rev. Archéol Tom. 31 p. 120. Variot ll. p. 140.

[2]) cfr. etiam Vossius ll pp 55 sq Longol a. h. l

Neque aliter nuperrimus editor Hardy: a. h. l p. 212 „Nomen ipsum the profession alone. Trajan's answer implies that the mere profession of Christianity, if persisted in, is a punishable offence, quite apart from any particular crimes, which Pliny disbelieved in, and Trajan omits to mention"

qui entraine crime et celui qui ne l'entraine pas." [1]) Haec autem vir doctissimus recte negat intellegi posse, neque scribere Plinium potuisse: verum non illud inde colligit verba laudata ita explicanda non esse, sed hoc potius sententiam hanc (et integram porro epistulam) esse spuriam. Non vidit scilicet parum referre utrum „non-sens" illud Plinio an falsario tribuat.

Non magis quam Puteano eadem verba Aubeo placent, qui repugnantiam quamdam sibi visus est reperisse inter haec Plinii verba: „nescio quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri" et haec alia: „flagitia cohaerentia nomini," Si nescit quid sit quaerendum, quomodo scribere potest de: „flagitiis nomini cohaerentibus" „les forfaits inséparables [2]) du nom de Chrétien." Tacitum, Suetoniumque, ait, de flagitiis illis quidem scripsisse, sed hos vulgi tantum sermones retulisse: Plinium vero tam ignarum esse non potuisse. [3]) Quis in hisce non videt Aubeum Puteano nostro omnino adversari? Offendit alterum ignoratio Plinii alterum scientia:

„ . . . . velut silvis ubi passim
„Palantes error certo de tramite pellit,
„Ille sinistrorsum hic dextrorsum abit: unus utrique
„Error sed variis illudit partibus." [4])

Sed haec jam abunde videntur confutata iis quae supra adversus Puteani argutias disputavi: quare hisce equidem „verbum non amplius addam."

---

[1]) i e (non enim ita facilia sunt haec intellectu): sit ne puniendum nomen ipsum cui flagitia cohaereant? („le nom qui entraine crime") an nomen quod flagitiis careat („le nom qui ne l'entraine pas"). Risum teneatis amici

[2]) Haec non omnino recte videtur intellexisse vir doctissimus.

[3]) Aubé ll. p. 212.

[4]) Horat. Sat. II 3, 48 sqq.

Pergit autem jam sic Plinius:

„Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos an essent Christiani. Confitentes iterum atque iterum interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri."

Hic recte monet Dupuy verborum „duci jussi" sententiam dubiam non esse qua de re Haversaat et post hunc Ussing [1]) disputarunt, cum contenderent, hoc loco non „ad supplicium" sed potius: „ad metalla" aut „in vincula" esse audiendum.

Qua quidem in re vehementer eos erasse existimo. Etenim cum proxime antecedat: „supplicium minatus" quis hoc loco non idem ad „duci jussi" audiat? Ita quoque plerique editores (ut Döring [2]) nec non nuperrimus Hardy) qui et multa similia ex aliis scriptoribus exempla afferunt.

Unum tantum Tertulliani locum describam: „Arrius Antoninus [3]) in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunal eius se manu facta obtulerunt, cum ille, *paucis duci jussis* reliquis ait: „ὦ δεῖλοι, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν κρήμνους, ἢ βρόχους ἔχετε." [4]) Haec quidem Puteanus rectissime monuit.

Sed mox studio nimirum magis quam ratione ductus ingentibus verbis personat fieri non potuisse ut Plinius tanta atrocitate in Christianos saeviret, qui, quo crimine

---

[1]) Ussing ll. p. 6.

[2]) Döring a. h. l. Tom. II p. 382.

[3]) De Arrio Antonino vide Waddington Fastes des Provinces Asiatiques pp. 154 sq. et pp. 249 sq.

[4]) Tertull. ad Scapul. c. 5.

accusarentur, quave poena solerent affici ipse nesciret. „Quoi, ita exclamat, Pline ignore ce qu'il faut punir dans les Chrétiens et dans quelle mesure il faut punir.... et dans l'incertitude, dans l'ignorance où il se trouve voici comme il exerce son métier de juge. Cet homme humain et timoré à l'excès.... inflige provisoirement le dernier supplice.... une maniére étrange"! Inde manifestum esse contendit haec non esse scripta a Plinio sed ab impio falsario conficta, qui cum probe sciret quam absurda et incredibilia Plinio affinxisset, ut fraudem tegeret (si Puteanum audias) mox addidit: „Neque enim dubitabam etc." [1])

Sed hisce fallaciis acutos Puteani oculos nequaquam decipere potuit: „Pline, ita pergit, dans le reste de sa correspondance peut apparaître comme un gouverneur faible, timide, aveugle si l'on veut, mais il est incapable de se rassurer lui-même par d'aussi mauvaises raisons..... En aucun cas d'ailleurs la rigueur de ces mesures provisoires ne saurait s'expliquer, et, puisque la lettre annonce à la fin, que tout est suspendu jusqu' à ce que la réponse de l'empereur soit arrivée, nous ne voyons pas ce qui a empêché le juge ignorant de tout suspendre dès qu'un Chrétien a été déféré à son tribunal."

Haec ipse quibus (ex parte saltem) fere assentitur Aubé: „Il ne paraît pas non plus, que l'auteur de la lettre s'exprime en légiste, ni même en homme de sens quand il écrit que l'obstination et l'inflexible entêtement à avouer — quoi? — il n'importe ajoute-t-il — méritaient à eux-seuls le supplice. Il est exorbitant qu'il puisse considérer

---

[1]) Dupuy ll. p. 190.

l'obstination et l'entêtement, disons la constance et la fermeté, comme des délits ou des crimes punissables." [1])
Paucis, post ea quae supra disputavimus ad haec respondere sufficiat. Ut enim hoc omittam omnia que protulerit Puteanus incredibili illi de ignoratione Pliniana sententiae inniti, qua eversa omnia ultro corrunnt, quis, Hercule! ignorat, ea crudelitate et saevitia non unum Plinium sed plerosque illos magistratus qui Christianos persecuti sint usos esse ut eosdem ob solam Christiani nominis confessionem morte punirent? Neque sane plerique Imperatorem de ea re consulendum esse existimabant. Hoc vel eo minus in Plinio nobis mirum videatur oportet, quod èt multae erant aliae leges (vel praeter illud: „non licet esse Christianos") — ut ipse fatetur Aubeus [2]) — quibus Christiani et postulari et condemnari poterant, èt in Bithynia praesertim provincia, in qua cum maxime in hetaerias Plinius inquirebat, ipso sodalitatis illicitae nomine puniendi videbantur. [3])

Quam parum vero Romani humiliorum hominum, quales plerique erant Christiani sanguinem et supplicia curarint et bene exponunt scriptores recentiores non pauci, [4]) et ex ipsius Plinii scriptis satis apparet.

Notissima profecto causa est Marii Prisci, quem ipse Plinius noster „reum peregit" et condemnavit. [5]) Qui vir cum Africae pro consule praeesset intra annum unum tam

---

[1]) Aubé ll. p. 212.
[2]) Aubé ll. pp. 189 seqq.
[3]) cfr. et Merivale ll. pp. 142 sqq.
[4]) cfr. inter alios P. Allard. Histoire des Persécutions Tom. I Introduction pp. XXXIV seq.
[5]) cfr. Plin. Epp. II 11, 12.

incredibiliter provinciam vexaverat, ut cum Romam reversus a provincialibus repetundarum crimine postularetur „omissa defensione judices peteret."[1]) Plinius vero et Tacitus qui patroni Afris dati erant „existimarunt fidei suae convenire notum senatui facere excessisse Priscum inmanitate et saevitia crimina quibus dari judices possent, cum ob innocentes condemmandos interficiendos etiam, pecunias accepisset." Praeter alia multa namque flagitia quae patrarat, Vitellio cuidam Honorato equitis Romani septemque amicorum ultimum supplicium, Flavio vero Marciano unius equitis Romani plura supplicia — „erat enim, inquit Plinius, fustibus caesus, damnatus in metallum, strangulatus in carcere" — vendiderat i. e. homines innocentes novem, inter quos equites Romanos duos ultimo supplicio nefarie adfecerat. Ex Plinii vero epistula quam de causa hac ad amicum scripsit, intellegitur quam parum abfuerit, quin vir ille nocentissimus Verrique haud immerito comparandus, vix non omnem poenam effugeret, ita ut nisi Imperator ipse voluntatem suam non obscure significasset,[2]) Marius Priscus non alias nisi repetundarum poenas dedisset. Nunc quidem ob egregiam Plinii Tacitique diligentiam manifestamque Trajani voluntatem, haec sententia valuit, ut „septingenta millia quae acceperat Marius aerario inferrentur, Mario urbe Italiaque interdiceretur Marciano hoc amplius Africa." (Honoratum opportuna mors cognitioni Senatus subtraxerat.) Ob tanta ergo flagitia:

---

[1]) De his omnibus cfr. sis Zumpt. Criminal. Recht der Röm. Republik II 2pp. 340 sqq.

[2]) Hoc patet ex Ep II 11 et 12.

. . . . „damnatus inani
„Iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)
„Exsul ab octava Marius bibit et fruitur dis
„Iratis: at tu, victrix provincia, ploras!" [1])

Quae sane ostendunt, vel innocentium, vel civium Romanorum supplicia, ne Trajano quidem imperante vulgo tanti facta esse: — quid de humilioribus, quid de peregrinis, quid de Christianis sentiendum putemus? [2])

Non igitur quidquam exclamando proficitur Plinium tam immanem esse non potuisse! Eadem enim — ut saepius jam monui — omnes Christianae religionis defensores illius aetatis uno ore testantur, quos nisi quis omnes pariter impudentissime mentitos esse contenderit, non est quod in Plinii „actu" (ut Trajani vocabulo utar) incredibile inveniet. [3])

„Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens. Qui negabant esse se Christianos aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicarent, praeterea male dicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur qui sunt revera Christiani, dimittendos esse putavi."

---

[1]) Iuvenal. Sat. I. vv. 47—50.

[2]) Et apte contuleris Plin. Ep. VIII 14, de libertis domini interfecti.

[3]) De his omnibus cfr. et Boissier Rev. des deux Mondes Tom. 14. (1876) p. 816. Rev Archéol. Tom. 31 p 120.
Arnold ll pp. 41 sqq
Allard ll. p. XXXIV.
Variot ll. p 140.

Non magis haec, quam ea quae praecedunt, Puteani oculos fugerunt.

Interrogasse Plinium Christianos ad se delatos, essentne vere Christiani hoc (mirum!) non miratur Dupuy. Displicet autem ei non tantum· τὸ „praeeunte me" „réservé aux cérémonies officielles" [1]) — sed hoc praesertim fieri potuisse negat v.d. ut Plinius Christianos appellare deos, Caesarisque imagini et numinum simulacris tus adolere, ac tandem Christo male dicere juberet. Etenim „il est difficile d'admettre, inquit, que Pline ait soumis à cette épreuve ceux, qu'on accusait de Christianisme, s'il avait ignoré le fond même de cette accusation et le motif pour lequel on les punissait" neque enim id casu factum esse credit neque Plinium in Bithynia a concilio suo id edoceri potuisse.

Verba vero: „praeterea maledicerent Christo," quae Haversaat quoque offenderunt, ea (si quid Puteano credas) sine dubio interpolata sunt —, vel potius cum reliqua epistula a falsario conficta. „Il nous paraît évident (sic) qu'il y a ici une allusion à une coutume juive, mais exclusivement juive de renier le Messie et de forcer les Chrétiens à le renier toutes les fois qu'ils le pouvaient." Romanis vero legibus haec paene repugnasse contendit, illas enim numquam quae sentienda essent sed quae agenda, quae omittenda praecepisse. „Il paraît donc impossible d'admettre que Pline ait violé un principe de droit aussi connu que celui-là, en forçant les accusés à renier

---

[1]) Quod gratis asseritur gratis negatur" ceterum cfr. Georges in voce et T. 47, 3 quo loco legit Hardy (cum apographo Bodleiano et Aldo): „Te rogo ut mihi *praeire* digneris quid me putes observare debere."

le Christ, après avoir rendu aux statues des dieux et de l'empereur les hommages qu'ils leur devaient." [1])

Vehementer hoc loco videtur errare Puteanus. Incredibilem enim illam Plinii ignorationem ut omittam, quis hoc nescit Christianos saepissime immo vulgo esse jussos Imperatorum imaginibus et deorum simulacris aut tus offerre aut supplicare? Quod quidem exemplis demonstrare supervacaneum paene uidetur. Polycarpo quidem episcopo Smyrnensi — nondum 50 annis post Plinii legationem elapsis — dixerunt Irenarchus Herodes et pater eiusdem Nicetes: „*τί γὰρ κακόν ἐστιν εἰπεῖν* Κύριε Καῖσαρ *καὶ θῦσαι καὶ σώζεσθαι*; Neque minus perspicue ex eiusdem rei narratione apparet non esse quod miremur Plinium coegisse Christianos ut male dicerent Christo, (quamquam id ipsum non aperte dicit Plinius) id ipsum enim jussus Polycarpus: *'Ογδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη* inquit *δουλεύω αὐτῷ* (Christo) *καὶ οὐδέν με ἠδίκησε καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν* Βασιλέα *μου τὸν σώσαντά με*;" [2])

Quid vero falsario illi, quem ubique odoratur Puteanus cum Judaeis? Cur enim fraudator ille nugas et ineptias tales epistulae — caute confictae scilicet — ultro addidisset? Solent enim viri docti cum de interpolationibus suspicio oritur, quaerere, quomodo fraus talis in orationem inrepere potuerit. Si igitur Romani magistratus non solebant cogere Christianos ut Christo male dicerent, quorsum falsarius mendacio manifesto epistulam ultro notasset?

---

[1]) Dupuy ll. p. 191.

[2]) Euseb. Hist. Eccles IV 15. cfr. de hisce et Aubé ll pp. 320 seqq. Allard ll. pp. 296 seqq.

Ceterum vir doctissimus Puteanus interrogandi causam non videtur recte intellexisse. Hoc enim potissimum quaerebat Plinius essentne vere Christiani an non essent quare suo jure ea ratione quam omnium optimam noverat, utebatur: „etenim horum nihil cogi posse dicuntur qui sunt revera Christiani."

Egregie haec — ut et alia non pauca — explicavit Arnold:

„Dem Plinius, sic ille, liegt der Gedanke fern, dass man sich gegen das Umsichgreifen einer fremden Gottesdienstes schützen müsse. Wohl fordert er vor denen die leugneten Christen zu sein oder gewesen zu sein, dass sie die Götter anriefen, der Bildsäule des Kaisers opferten, und Christus übel redeten, aber er thut dies nur, um sich zu überzeugen, ob sie in der That einer Verbindung angehörten, in der solche Dinge streng verboten waren."

„Er fügt in seinem Bericht an den Kaiser selbst hinzu: zu diesen Dingen sollen solche nicht gezwungen werden können, die in Wahrheit Christen sind.... Er will.... sagen, er habe dies von ihnen gefordert um zu sehen ob sie in Wahrheit Christen wären, wie dies die Angeber behauptet hatten, oder nicht, wie sie selbst sagten. Die Opferung vor der Statue des Kaisers hatte keinen anderen Zweck." [1])

Quae cum ita sint, et hanc Plinianae epistulae partem contra Puteani subtilitates satis defendisse mihi videor.

„Adfirmabant autem hanc fecisse summam vel culpae

---

[1]) Arnold II pp. 36 sqq.
De usu verbi „male dicendi" vide Arnold II. p 37 nota 10.

suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rurusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram.:"

Inania quaedam hoc loco profert Puteanus, quae, quasi praeteriens, ideo tantum commemoro ut ostendam, in quantas ineptias soleant impingere, qui epistularum, de quibus disputamus fidem, „per fas et nefas" ut aiunt, impugnant.

„La déclaration qui suit peut paraître peu naturelle dans la bouche d'apostats, et l'on se demande comment ils aient abandonné un culte dont ils s'accordent à faire un si bel éloge" [1]). Haec quam inepta sint quis non intellegit? Non profecto ob Christianae religionis pravitatem, sed aut tortorum furore superati aut sua nequitia impulsi a Christiano cultu „apostatae" desciscere solebant. Accedit quod magnopere ipsorum quoque apostatarum intererat, Christianam religionem cui et ipsi olim addicti fuerant, minime nocentem pravamque Plinio videri, ne videlicet et sibi accideret, quod iis qui olim condemnati necdum puniti erant, factum esse legimus, quos Trajanus, (vel invito Plinio) — exceptis illis qui jam decem annis ante damnati

---

[1]) Dupuy II. p 192.

essent, — poenae reddendos esse rescripserat [1]). Nondum enim Imperator statuerat „illum qui Christum negavisset praeteriti veniam ex paenitentia impetrare" [2]). Quare haud mirum eosdem nihil mali ultro adversus Christianos confinxisse, sed ex rei veritate quae novissent, esse confessos.

Non minus eadem Plinii verba Aubeo — licet alio nomine — displicent. Qui hoc non probat Plinium tam bene de Christianis sensisse: „il est fort à croire, que le vrai Pline le jeune pensait et parlait des Chrétiens comme ses deux amis Suétone et Tacite" [3]). Sed haec ipse vir doctissimus apte refellit, dicendo: „La sympathie mitigée de Pline pour ceux qu'il juge s'explique assez par la modération de caractère de cet homme du monde doux, humain, et un peu sceptique en matière religieuse" [4]). Quid ergo confitentem reum ultro urgeamus? Ceterum et hoc loco in memoriam revocare juvat quae de Semlero monuerat Schaedel: „Semlers (idemque dicendum de Puteano et Aubeo) ganze Kritik hat alle Mängel des Rationalismus, Beweisführung aus Gemeinplätzen" [5]).

Neque plus valet, quod contendit Puteanus, mirum sibi videri edictum illud de hetaeriis a Plinio laudatum in aliis huius libri epistulis non commemorari. Unusquisque enim novit saepius in iisdem epustulis hetaeriarum illarum mentionem fieri, Trajanum autem Imperatorem iisdem minime favisse; quid mirum Plinium edictum illud „secundum mandata Trajani" aut jam Romae, aut in ipso provinciae

---

[1]) T. 32 [2]) Arnold ll. p. 46.
[3]) Aubé ll. p. 213.
[4]) Aubé ll. p 219 in nota.
[5]) Schaedel ll. p. 6.

ingressu proposuisse, ita ut Imperatorem nominatim de hoc edicto certiorem reddere minime opus esset. Deinde quis umquam contendit omnes omnino Plinii ad Trajanum epistulas ad nos pervenisse? Quod autem affirmat idem vir doctus: „le fait seul de se réunir la nuit avait constitué un crime de lèse-majesté et provoqué de tout temps l'application d'une loi rigoureuse" eo ipso facillime intelligimus Plinium Christianos tam gravibus poenis adfecisse, ac demum, cum in dies plures, eosque homines minime noxios ad se delatos videret, ad misericordiam flexum ad Imperatorem causam retulisse.

„Sacramentum" quoque illud de quo scribit Plinius haud exiguas turbas inter viros doctos excitavit. Quod vocabulum plerique interpretum Plinium ex Christianis auditum perperam intellexisse opinantur, tamquam jusjurandum seu sacramentum proprie dictum significaret; ita Longolius, Schaeffer, nec non nuperrime Hardy: „Pliny evidently cites the word which these Christians themselves made use of. He seems to understand it in its ordinary sense as a quasi military oath, similar to that taken by the Catilinarian conspirators, or those concerned in the Bacchanalia" [1]).

At sententia haec non omnino probanda mihi videtur. Quum enim Plinio cum Christianis, qui Graeca potissimum lingua uterentur res esset, haud facile videtur illam vocem (eaque significatione adhibitam) ex illorum ore excipere, nedum ipse invenire potuisse. [2]) At non inde cum

---

[1]) Hardy a. h. l. Ita quoque Puteanus ll. p. 192: „Sacramentum".... c'est le sens Chrétiens: sacrement".

[2]) vd. Variot haec adnotat, ll. p. 143 nota 2: „Il n'y avait pas de serment proféré dans les réunions des Chrétiens. Il est probable que Pline

Puteano illud efficiendum est sententiam esse spuriam, sed hoc potius eandem aliter explicandam.

Recte totum locum exponit Arnold:

„Solebant ii, ita fere vir doctissimus, qui ad sodalitia accedebant, aut mysteriis initiabantur, sacramentum dicere se scelus nullum admissuros, mysteria non divulgaturos aliaque id genus. [1]) Plinium ergo Christianos quoque interrogasse crediderim, quonam sacramento obstringerentur. Qui cum respondissent, se ad nullum scelus se obligare, sed „ne fidem fallerent etc." haec Plinius ita viderur intellexisse, ac si quoties convenissent sacramentum tale dicere solerent. Quod cum in ecclesiis et conventibus Christianorum nequaquam fieret, ne Tertullianus quidem, qui hunc ipsum Plinii locum adfert, Plinii verba recte videtur intellexisse; sed ea interpretatus esse ac si de Christianorum sacramentis dicta essent. Sic enim scribit Tertullianus: „allegans nihil aliud se de sacrificiis (alii sacramentis) eorum comperisse, quam coetus antelucanos etc " [2]) Quare ille de Eucharistia, Plinius vero de sacramento proprie dicto videtur cogitasse.

Quae cum ita sint, recte inferre videtur Arnold: „Gerade

---

aura rendu *μυστήριον* prononcé dans la déposition par le mot *sacramentum* c'est ainsi qu'à la fin de de la lettre le mot *ministrae* rappelle tout-à-fait le *Διάκονοι* des Grecs." Haec ille; mihi tamen *μυστήριον* vix videtur verti posse „*sacramentum*."

[1]) Adfert Arnold a. h. l. ex Foucart p. 182: „Un certain nombre d'hommes et de femmes s'engagent par un serment solennel, à ne pas commettre, et à ne laisser commettre aucune action injuste ou honteuse, qui puisse ruiner les mystères." Et ex Justini Histor. Philipp. XX 4, 14: „CCC ex juvenibus (Crotoniatum) cum sodalicii jure *sacramento* quodam nexi separatam, a ceteris civibus vitam exercerent, quasi coetum clandestinae conjurationis haberent, civitatem in se converterunt."

[2]) Tertull. Apolog c. 2.

diese Worte („seque sacramento" etc.) können am allerwenigsten von Christen interpoliert sein, denn sie verrathen so sehr den heidnischen standpunkt des Verfassers, dass die Christen sie nicht einmal verstehen konnten." [1]).

Enfin, inquit Puteanus, les dernières phrases de la lettre.... confirment ces doutes."

„Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat prope jam desolata templa coepisse celebrari et sacra sollemnia diu intermissa repeti pastumque venire victimarum cuius adhuc rarissimus emptor inveniebatur: „Ex quo facile est opinari quae turba hominum emendari possit, si sit paenitentiae locus."

Haec verba vel magis quam tota reliqua epistula illorum omnium animos commoverunt, quotquot a Semleri aetate, epistulae huius αὐϑεντίαν impugnare conati sunt. Etenim magnam illam Christianorum multitudinam quae ll. commemoratur, omnino ferendam et admittendam esse negant. Praeiverat cantilenam Semlerus, concinuerunt Aubeus Desjardins et Puteanus.

Qui primum hoc argumento utuntur Plinium altero demum legationis anno ad Imperatorem de Christianis retulisse: quorum si vere tantus fuisset numerus ut: „templa prope essent desolata" et sacrificia intermitterentur, pro-

---

[1]) Arnold II p 10

fecto jam multo ante eos invenisset, et ad Imperatorem de iisdem scripsisset.

Praeterea temere statui contendunt in Bithynia plures fuisse Christianos quam in aliis Imperii Romani provinciis (aut saltem quam in reliqua Asia) in quibus tot Christianos nequaquam fuisse constet. Quam sententiam cum per se probabilem esse contendunt, tum vero eandem confirmari Origenis praesertim aliorumque Patrum scriptis quibus significetur ne ipsorum quidem aetate tantam fuisse „fidelium" multitudinem: nedum ergo Plinii aetate quis tantam fuisse fingat. „Saint Pierre — ita Puteanus — avait adressé sa première épître aux fidèles de Bithynie; Saint Paul avait évangélisé la province voisine de Galatie..... mais il est impossible d'admettre, qu'au commencement du deuxième siècle le Christianisme se soit déjà établi quelque part comme religion dominante, et ait tué le culte païen" [1]).

„C'est seulement — inquit Aubeus — quatorze ou quinze mois après sa venue dans la province, et peu de temps avant son retour à Rome qu'il mande à Trajan la nouvelle de ce péril public Si ce péril était aussi grand qu'il le fait entendre, comment ne s'en est-il pas aperçu plus tôt, et n'a-t-il pas écrit dès son arrivée? S'il n'en a eu vent qu'après plus d'une année de séjour et de fréquentes tournées dans son gouvernement, la chose ne peut être aussi grave qu'il le dit; pourquoi ces exagérations, qui ne peuvent manquer d'alarmer gratuitement le souverain?" [2]).

---

[1]) Dupuy ll. p. p. 193.
[2]) Aubé ll. pp. 213 seqq. cfr. et Desjardins ll. p. 657.

Haec, quae tam graviter disputant viri docti certo fundamento videntur carere. Etenim, quomodo cognoverunt quot Christiani aetate illa in Bithynia aut in aliqua Bithynae parte fuerint? Facile profecto est ingenti verborum strepitu personare non fuisse „fideles" multos; omnium difficillimum existimo idem certis argumentis demonstrare.

Hoc quidem constat et certo constat, jam primis post Christi resurrectionem annis religionem Christianam in ea provincia esse propagatam Petrum vero et Paulum Apostolos Epistulas ad illarum regionum Christianos misisse, ostendit haud exiguum eorum fuisse numerum; quid, quod testatur S. Epiphanius: „Πέτρος δὲ πολλάκις Πόντον τε καὶ Βιθυνίαν ἐπεσκέψατο"? [1]).

Plurimos Christianos, saeculo post Christum secundo, in provinciis Bithyniae Pontoque finitimis fuisse, affirmat vel ipse Rénan, qui, quo minus Christianae religioni favet, tanto magis hoc loco videtur audiendus: „On n'exagérerait pas beaucoup en admettant, que près de la moitié de la population (à Smyrne) s'avouait Chrétienne" [2]).

Qua in causa egregrie consentit cum primis Christianorum scriptoribus, cum Tertulliano, Justino, Herma aliisque, qui omnes sua aetate haud exiguum „fidelium" numerum fuisse affirmant. Ex magna copia paucissima quaedam exempli causa afferre liceat.

„Hesterni sumus, inquit Tertullianus, et vestra omnia implevimus; urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa" [3]).

---

[1]) Epiphan. Haeres XXVII 6.
[2]) Rénan l'Église Chrétienne p. 432 cfr. Allard ll. p. 296.
[3]) Tertull. Apol. c. 37 cfr. et Ad Scapul. c. 5. Ad Nationes I, 1, 8.

Et Justinus Philosophus: „Οὐδὲ ἓν γὰρ ὅλως ἐστὶ τὸ γένος ἀνθρώπων, εἴτε βαρβάρων, εἴτε Ἑλλήνων, εἴτε ἁπλῶς ᾧτινιοῦν ὀνόματι προςαγορευομένων, ἢ ἁμαξοβίων ἢ ἀοίκων καλουμένων, ἢ ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων οἰκούντων, ἐν οἷς μὴ διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ σταυρωθέντος Ἰησοῦ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι τῷ Πατρὶ καὶ Ποιητῇ τῶν ὅλων γίνονται" [1]).

Quae quamquam ad litteram profecto intellegenda non sunt, unum tamen demonstrant non exiguum fuisse ea aetate Christianorum numerum, neque esse mirandum Plinium (in aliqua Bithyniae parte) desolata templa invenisse.

„At, inquit Aubeus, ipse Origenes testatur sua aetate, i. e. saeculo post Christum III, Christianos fuisse valde paucos „πανὺ ὀλίγους"; [2]) unde efficit: „au commencement du second siècle le Christianisme est en une telle minorité dans l'empire, que nul ne peut s'aviser d'opposer sérieusement les clients de l'ancien culte et les partisans du nouveau." [3])

Ad haec non illud ego respondebo — quod recte demonstravit Variot — virum doctissimum laudata Origenis verba non videri plane intellexisse; [4]) neque id, quod monuit Boissier, non paucos legi alios locos cum apud eumdem Origenem, tum apud alios scriptores qui cum verbis ab Aubeo allatis pugnent: „Non seulement — sic ipse — les écrivains de ce temps suivant leurs intérêts et leurs opinions diffèrent entre-eux, mais ils se contredisent quelquefois eux-mêmes. Origène dit quelque part que les Chrétiens ne sont que fort peu nombreux; mais

---

[1]) Iustinus Dial. cum Tryphone 117. cfr. et Hermae Pastor. III c. 9 et 17.
[2]) Origenes Contra Celsum. VIII 69.
[3]) Aubé II 214.
[4]) Variot II pp. 137 sq

il affirme ailleurs qu'un grand nombre chez les Grecs et chez les barbares ont embrassé le Christianisme, et donne cette diffusion rapide de la religion nouvelle pour une des preuves de sa divinité"; [1]) sed hoc unum tantum respondisse sufficiat, omnia quae adversus magnam illam Christianorum multitudinem adferantur huic fundamento inniti parem numerum in tota provincia repertum esse, i. e. in epistula Plinii de universa provincia Bithyniae et Ponti agi, non vero de parte tantum

At illud nequaquam verum esse opinor.

Etenim, ut acute vidit Arnold, [2]) (qui hac in quaestione cum Mommseno potius quam cum Boissier facit) priore legationis anno Plinius illas provinciae partes obiit, quae occidentem solem spectant, et Aegaeo Mari Hellespontoque adjacent: altero demum orientis regiones videtur peragrasse, siquidem epistularum ordini, quas ex temporum rationibus dispositas esse summo acumine conjecit Mommsenus, fides vel ulla habenda est.

Iter vero illud, ut probabili conjectura ex iisdem epistulis colligitur, per viam fecit quae Iuliopoli, Ancyram, Gangram et Sinopen ducebat, ac tandem per Amaseam Amisum et in ceteras illius orae civitates videtur pervenisse. In partibus autem illis satis diu immoratus est Plinius[3]), quare haud immerito suspicatur Arnold et mediterraneas civitates eum adiisse, in quibus erant Amasea, Comana,

---

[1]) Boissier Revue Archéologique Tom. 31 p. 122. cfr. Origen. Contra Cels I 26, 27, III 10, etc.

[2]) Arnold II. pp. 26 sq.

[3]) Ep. T. 90 de Sinopensium aquaeductu, Ep. T. 110 de Amisenorum donationibus scribit.

Zela aliaeque. In eadem vero regione splendidissime colebatur dea Ennyo — ut ex Strabone demonstrat Arnold — cui deae sollemnia quotannis sacra, eaque ingenti pretio comparata fiebant.[1]) Probabilis porro videtur conjectura Arnoldi ibidem et Christianam religionem citissime esse propagatam, mox vero tantum valuisse, ut facile intellegatur deae Eunyus cultum valde esse deminutum, sacerdotes vero, aliosque omnes ad quos religio illa pertineret (mercatores aliosque) haud leve damnum accepisse. Quid mirum, si (cum Arnold) conjiciamus, in illis praesertim regionibus cognitiones de Christianis esse habitas, ibi libellum illum sine auctoris nomine propositum, inde demum epistulam illam ad Trajanum esse datam.[2])

Quae conjectura ad alterum etiam quod quaesierat Aubeus apte respondet, cur altero demum legationis anno de Christianis ad Imperatorem scripserit Plinius.

Etenim, licet in reliqua quoque provincia satis multi essent Christiani, quorum haud paucos, ob quaestiones

---

[1]) cfr. Arnold ll. pp. 32 sq. Strabo. Geogr. XII pp. 598 sq.

[2]) Vel etiam Amiso, Amastride, Sinope.

Recte etiam i. a. monet Hardy ll. p. 64: „This difficulty (de multitudine Christianorum) is much obviated by three considerations: 1°. Pliny..... speaks of the „numerus periclitantium" and says „multi omnis aetatis... vocantur in periculum"; but from a former passage in the letter it is quite clear, that a considerable proportion of these were not Christians and never had been, but were simply accused by the malice of private ennemies. 2°. Even when the tempels were nearly deserted, it is not necessary to suppose, that Christianity alone was the cause of this, when we remember, that the Iews equally with the Christians would refuse to attend them, and that the former were probably far more numerous than the latter (?) and 3°. The case with regard to the temples was probably much exaggerated by those, whose interests were all involved in the temple-worship, like the silvershrine makers at Ephesus, and who may probably have complained to Pliny that their trade was being ruined."

de hetaeriis habitas delatos ac mox punitos esse existimo, ingentem tamen illam multitudinem, omnis aetatis et sexus, quae Plinium permovit ut ad Caesarem scriberet, in illo ipso loco altero demum legationis anno esse delatam.

Ita quoque ultro corruunt illa, quae adversus Boissier disputat Puteanus, qui magnum quid sibi videbatur egisse, si demonstraret, duos illos Origenis locos [1]) quos attulerat Boissier, inter se nequaquam pugnare. Nihil hisce proficit vir doctissimus. Non enim Origenis verba ostendunt fieri non potuisse, ut in illa Bithyniae Pontive parte ob augescentem in dies Christianorum numerum, templa „desolarentur", sacrificia intermitterentur, victimae non venirent. Quae cum ita sint, quae viri docti in hac Plinii epistula reprehenderunt, facile mihi videntur explicari, neque esse, cur eam ab impio falsario confictam esse existimemus. [2])

Transeo jam ad ea argumenta, quibus freti nonnulli

---

[1]) Origenes Contra Cels. I 26 et VIII 69.

[2]) Operae pretium fuerit paucis hoc loco significare, quae v. d. Dupuy ex illis quae disputavit collegerit: „Si la lettre n'est pas entièrement contraire aux faits vrais ou possibles, elle n'a pas du moins été écrite par le personnage auquel on l'attribue; elle trahit en plusieurs endroits la main et surtout la pensée (sic!) d'un faussaire, préoccupé d'établir un témoignage favorable aux Chrétiens et d'exagérer la rigueur des persécutions." ... „Si l'on en juge par le rescrit de l'empereur, Pline lui avait simplement annoncé qu'il avait puni selon la loi des Chrétiens dénoncés, et comme la religion nouvelle était déjà assez répandue dans sa province et les dénonciations anonymes fréquentes, demandé l'approbation de l'empereur avec une règle de conduite pour l'avenir." Quam vero hodie legimus epistulam, impius ille falsarius omnibus libris intulit vera Plinii epistula ejecta: idque ante Tertulliani aetatem: „La chose était faite à l'époque de Tertullien, qui s'empare sans scrupule de la lettre apocryphe." Multo prudentior Aubeus in fine disputationis haec addit: „Cependant s'il faut prendre un parti tranché, bien que tout embarras ne soit pas levé, pour nous nous inclinerions plutôt à recevoir dans son intégrité le texte de Pline qu' à le rejeter même en partie" II. p. 218, in nota.

viri docti et Trajani rescriptum spurium esse demonstrare conati sunt, ut hisce demum absolutis et de Tertulliani in hac causa auctoritate paucis disputemus atque ita universa quaestioni finem imponamus.

At, quod mirum videri possit, Trajani responsum multo pauciores adversarios habuit quam Plinii epistula. Immo ex iis ipsis qui hanc acerrime impugnarunt, illud plerique aut aperte germanum esse professi sunt, aut silentio praeterierunt. Unus Held utramque epistulam nominatim impugnavit — quae vero protulit argumenta tanti non videntur quae data opera refellantur — solus Ussingius unum Trajani responsum negavit germanum esse. Cui aliquo modo accedit De la Berge, qui haesitans quaedam in dubium vocavit, certi tamen quidquam affirmare non ausus est. [1])

Quare in hac causa Ussingium prae reliquis adversarium habebimus, cuius argumenta diligenter examinanda erunt.

Quid ergo Ussingius?

Praeter minoris momenti quaedam, ut „*actum* quem debuisti .... secutus es" aliaque id genus, quae brevitatis gratia omitto, ea quae apud alios scriptores de hac Trajani epistula leguntur expendit: Tertullianum dico, Eusebium, Orosium (Hieronymum non nominat). Orosium autem Eusebiumque Tertulliani auctoritate omnino inniti affirmat, ita ut cum hoc uno res sibi sit. [2])

Neque tamen — ut Puteanus et Aubeus fecerunt —

---

[1]) De la Berge ll. pp. 208 sqq.
[2]) Ussing ll. p. 25.

hunc locupletem auctorem esse negat: „Vixit ille, inquit, vix centum annis post Plinium, ita ut ne in animum quidem quis possit inducere epistulam jam eo tempore fuisse suppositam," sed hoc contendit in loco Tertulliani a multis laudato, Plinii quidem epistulam aperte contineri, non vero Trajani responsum quale hodie legimus, sed omnino diversum.

Etenim haec sunt verba Trajani: „Actum quem debuisti, mi Secunde .... secutus es .... *Conquirendi non sunt, si deferantur et arguantur puniendi sunt*, ita tamen etc."

Jam audiamus Tertullianum: „Plinius enim Secundus, cum provinciam regeret, ... consuluit Trajanum Imperatorem (de Christianis) .... Tunc Trajanus rescripsit *hoc genus inquirendos quidem non esse oblatos vero puniri oportere.*" [1])

Quid ergo contendit Ussingius? Epistulam Plinii in Tertulliani verbis (quae supra descripsi) plene et plane ait contineri, cum non opus esset illam „ad litteram" ut vocant adscribere. „Trajani vero responsum, ipsis verbis citare inquit paene necesse erat". Hoc ergo et fecit Tertullianus. Quare Imperatorem scripsisse affirmat Ussing: *inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere*" non vero, ut in epistula legimus: „*conquirendi non sunt, si deferantur et arguantur, puniendi sunt.*"

Hoc inde, inquit, confirmatur, quod mox Tertullianus eadem rescripti verba repetit: „Si damnas cur non et *inquiris?* Si non *inquiris* cur non et absolvis? .... In reos majestatis et publicos hostes .... ad consocios *in-*

---

[1]) Apol. c. 2.

quisitio extenditur. Solum Christianum *inquiri* non licet, *offerri* licet, quasi aliud esset actura *inquisitio* quam *oblatio*."

„Ergo, inquit, quae hodie in epistula, quae Trajani fertur, legimus, non sunt ipsius Trajani verba sed falsarii. Accedit, quod in epistula additur: „ita tamen etc." quae verba apud Tertullianum non inveniuntur; haec autem Tertullianus profecto non omisisset."

Haec vir doctissimus. Quid ei respondendum? Videtur Ussingii argumentatio falso fundamento inniti. Etenim unde effecit Ussing Tertullianum Trajani responsum „ipsissimis" verbis attulisse? Plinii epistulam certe ad verbum *non* attulit, ita ut non paucis „ex tempore", i. e. non adhibito libro, Plinii verba citasse videatur Quod, cur et in Trajani epistula facere non potuerit, equidem, fateor, non intellego.

Accedit quod Tertullianus, non ita multis interjectis, saepius non verbum *inquirendi* cui tanto opere instat Ussingius, sed *requirendi* adhibet, immo proxime post ea quae laudavit Ussingius: „solum Christianum . . . . oblatio", haec sequuntur: „damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit *requisitum*, qui, puto, non ideo meruit poenam quia nocens est, sed quia non *requirendus* inventus est."

Haec luce clarius profecto ostendunt, apud Tertullianum verbis illis tanto opere instandum non esse. Ipsum vero Trajani epistulam, quod ad rem spectat verissime retulisse ne Ussingins quidem negavit. [1])

---

[1]) Quin contra potius affirmare licet: si quis falsarius (saecul. XV), qui exemplis bene multis intellegitur aetatis illius historiam et instituta, ipsiusque

Quae autem sequuntur: „Ita tamen etc." ea Tertulliano minime addenda erant. Sciebant enim illa aetate omnes Christianum dummodò dis supplicasset, veniam impetrare. Sed tantum abest, ut haec in Trajani rescripto lecta non esse Ussingio concedam, ut affirmen, ea utique requiri, siquidem ad Plinii interrogationem quaestionem commode respondere voluerit Imperator.

Nuntiavit enim Plinius multos ture Imperatoris imagini oblato Christianos se jam esse negavisse, et nominatim quaerit: „detur paenitentiae venia an ei qui omnino Christianus fuit desisse non prosit." Quid, si Trajanus nihil respondisset, nisi haec (ut contendit Ussing) „Inquirendi non sunt, oblati puniantur"? Ignorasset sane Plinius quod maxime rogaverat, quid iis qui se Christianos esse negassent (apostatis) esset faciendum, immo suo jure contendere posset Ussingius, quod aliis locis saepe, sed falso affirmat: Trajani rescriptis nil proficere Plinium.

His accedat testimonium et auctoritas S. Hieronymi, qui in Eusebii chronico Latine reddito eadem verba adfert. Non autem S. Hieronymum ex Eusebio et Tertulliano Plinii epistulas didicisse, planissime ipse affirmat. Sic enim scribit: „Ad quam (mentem) edomandam cuidam fratri qui ex Hebraeis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis et *lenitatem Plinii* alphabetum (Hebraicum) discerem, et stridentia anhelantiaque verba meditarer." [1])

Tertulliani scripta bene novisse, epistulam hanc finxisset, accurate profecto Tertulliani locum exscripsisset. Ipsa igitur in verbis diversitas in rebus consensio novum αὐθεντίας argumentum reliquis accedat.

[1]) Hieron. Ep. 125 cfr. Variot ll. p. 142.

Quae cum ita sint, videtur et Ussingii opinio omnino rejicienda et cum huius responsi tum et reliquorum αὐϑεντία affirmanda et vindicanda.

In verbis vero: „Neque enim in universum aliquid quod quasi certam formam habeat constitui potest" quae praesertim Puteanum et de la Berge videntur offendisse, nil omnino invenitur quod cum reliqua epistula aperte pugnet. Etenim duo tantum Trajanus statuit: „non conquirendi sunt, neque accipienda accusatio sine nomine auctoris proposita" et „si deferantur et arguantur puniendi sunt." Quidquid autem praeter haec ad formam cognitionis spectat, sintne omnes eodem modo puniendi, tormenta adhibenda et alia multa legati arbitrio permittuntur. [1])

Qua in re haec epistulae pars cum aliis Trajani responsis omnino congruit.

Contendit quidem Puteanus: „On y sent l'épuisement d'un faussaire à bout d'haleine qui n'a plus rien de précis à dire et qui n'ose se répéter." Sed cuinam, medius fidius, haec verba addere vel in mentem venire potuit, si ipse Trajanus ea non scripsit? Videtur Puteanus falsario illi incredibilem quamdam interpolandi pruriginem attribuere. Verum haec non minus inepta quam cetera quae idem vir doctissimus commentus est.

Quod praeterea contendit de la Berge [2]) Trajani re-

---

[1]) Accedit quod Trajanus non pro universo Romano imperio sed pro sola provincia Bithyniae ea quae scripsit rata esse voluit cfr Merivale History of the Romans under the Empire Vol. VIII p. 148, note 2. „Trajan carefully limits his decision to the particular case and locality." Unde idem v. d. efficiat haec: „It is very remarkable that the emperor speaks of these people (the Christians) as if he had never heard of them before", equidem non intellego.

[2]) De la Berge ll. pp. 209 sq.

scriptum non ad omnes Plinii quaestiones respondere, id nequaquam probandum mihi videtur. Etenim, si illud unum, de quo „nihil quod quasi certam formam habeat constitui potest", excipias ad omnia quae Plinius rogaverat brevissime ille quidem, sed planissime tamen respondit.

Quaerit enim Plinius: 1°. Quid et quatenus puniri soleat aut quaeri; nomen ipsum an flagitia cohaerentia nomini? 2°. Sitne discrimen aetatum atque sexus. 3°. Deturne paenitentiae venia. 4°. Tandem exponit quem „actum" secutus sit, et quaerit recte necne.

Respondet Trajanus: ad 4°. Recte egisti; — ad 2°. certa forma constitui non potest; — ad 3°. Poenitentiae venia danda; — ad 1°. Nomen ipsum puniendum. Addit non esse accipiendos libellos sine auctoris nomine propositos.

Ex quatuor illis alterum si excipias, quid amplius respondere Trajanus debuit? Quid quod Trajani responsum tam perspicuum tamque omnibus numeris absolutum fuisse contendo, ut vel per integrum saeculum — usque ad Decii aetatem pro norma et regula in Christianos inquirendi fuisse videatur.

„Après avoir reçu la lettre de Trajan Pline n'avait plus rien a demander; elle est si précise et si nette qu'elle a servi de règle non seulement à Pline lui-même mais à tous les gouverneurs de province jusqu'à Dèce." [1])

Atque ex hisce quidem quae adhuc disputavimus satis efficitur huius libri αὐθεντίαν facile posse defendi. Quo vero idem vel planius, si fieri possit, appareat, juvat hoc

---

[1]) Boissier Rev. Archéol II. p. 125. Arnold II. p. 42.

loco aliquot enumerare incommoda, eaque haud sane levia, quibus urgentur illi qui epistulas has sinceras esse negaverunt.

Etenim, si Plinius epistulam illam non scripsit, quis tandem est auctor, quo consilio confinxit, quando, ubive? Excepto namque Plinio ea aetate haud facile quemquam inveneris cuius nomini epistula talis apte adscribatur. [1]) Non elocutio tantum scribendique genus alterius epistulae Plinium, Trajanum altera plane sapit — uti vel ipse Aubé fatetur: „le style de la lettre est du meilleur Pline" [2]) et copiose demonstrat Arnold, [3]) — latinitatis ea puritas est quam apud sequentis aetatis auctores Frontonem, Apuleium, ipsum Tertullianum frusta quaesiveris, sed etiam omnia illa quae in utraque epistula continentur Plinii et Trajani indolem plane exhibent. [4])

Praeterea, quod recte perspexit Ussingius, Christianus profecto multo ardentius acriusque Christianam fidem defendisset; non facile commentus esset tot Christianos Christum ultro abnegasse. [5])

Non minus iisdem viris doctis adversatur Tertulliani auctoritas; de qua paucissima tantum hoc loco addere liceat. Ipsum Plinii Trajanique epistulas ne confingere quidem potuisse, cum ex aliis multis tum vero ex sermonis diversitate certissime colligitur, neque vero quemquam inveni

---

[1]) cfr. Aubé ll. p. 217. In memoriam revocare hoc loco placet, Aubeum in fine disputationis epistulam Plinii germanam esse admittere.

[2]) Aubé ll. p. 218.

[3]) Arnold ll. pp. 9—14 cfr. et Variot ll. pp. 147 sq.

[4]) cfr. quae supra de Trajani et Plinii indole disputavimus et Arnold ll. pp. 8, 9.

[5]) Ussing ll. p. 7.

(uno Semlero fortassis excepto) qui id ipsum contendere vel suspicari ausus sit.

Sed neque ante Tertulliani aetatem idem commode fieri potuit. Non solum enim Tertullianus vix saeculo uno post Plinii legationem elapso „Apologeticum" edidit, sed, quod multum in hac causa valet, in Africa edidit, in qua provincia Plinius vel melius quam in alia ulla vulgo notus erat, quippe cum provincialium causam adversus Marium Priscum prospere egisset. In eadem porro provincia prae reliquis omnibus aetate illa litterae summo studio colebantur plurimique florebant et rhetores et grammatici, qui cum Plinii libros probe novissent simulque Christianis plerumque essent infensissimi, fraudem illam, si fuisset, certo certius et intellexissent neque intellectam tacuissent. [1]) Non autem tam stultum et ineptum Tertullianum fuisse crediderim, ut tam pravo adversus „gentiles" argumento uteretur, cum vera firmaque haud desideraret.

Sed, ut haec omnia omittam: ut Christiani unum alterumve librum manuscriptum ita corrumperent, quomodo tandem omnibus Plinii, qui ferebantur voluminibus, nugas suas fraudesque inserere potuerunt, ita ut nullum verae lectionis vestigium jam exstaret?

Plerosque enim ex antiquis scriptoribus saeculo quarto quintove a viris eruditissimis iisdem, de quibus supra jam disputavi (Symmachos dico et Flavianos c. s.) recensitos et editos fuisse novimus, [2]) qui cum Plinii scripta penitus

---

[1]) cfr. Teuffel, Gesch. der Röm. Litterat. Ed. 5 § 345 p. 806 sq.
In Africa aetate illa nati erant (et florebant) Salvius Julianus, Fronto, Sulpicius Apollinaris (grammaticus), Apuleius, alii.

[2]) vide Teuffel ll. § 425 sq.

novissent et summo opere admirarentur, quis non vero simillimum esse concedat, et illum qui „epistulas mutuas" servavit codicem (aut saltem eiusdem „archetypum") ipsorum operae curisque deberi? At hi viri, qui Christianis non minus erant infensi quam antiquarum litterarum studiosi, quomodo fraudem non sensissent neque mox — si vel unus alius lectionis testis exstitisset — veram Plinii manum restituissent? „At, inquit acutissimus ille Puteanus, quis scit an forte editio talis „pagana" ad nos sit perventura?" [1]) Praeclarum hoc esse subtilissimi viri inventum ultro concedo; donec tamen eruditissimo viro ἕρμαιον tale contigerit, interim hodiernam lectionem veram sinceramque esse defendamus!

Trajani rescriptum quam sit graviter atque acerbe a Tertulliano reprehensum nemo ignorat: „O sententiam, inquit, necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes et mandat puniendos ut nocentes. [2]) Parcit et saevit, dissimulat et animadvertit . . . Si damnas cur non et inquiris? Si non inquiris cur non et absolvis? Damnatis ergo oblatum quem nemo voluit requisitum; qui, puto, jam non ideo meruit poenam quia nocens est, sed quia non requirendus inventus est." [3])

At recentiori aetate nonnulli viri docti fuerunt, qui Trajanum a Tertulliani conviciis defendendum esse existimarent.

Vossius, adlatis Tertulliani verbis: „Equidem, inquit, nolim Trajani causam agere adversus Christianos quam

---

[1]) Dupuy ll. p. 195.

[2]) cfr. „Convenit bono et gravi praesidi curare ut pacata atque quieta provincia sit et *debet malos homines conquirere.*"

[3]) Tertull. Apol. c. 2.

mox impugnabimus. Fatendum tamen hoc (Tertulliani) dilemma tam firmum non esse, quam prima facie videatur .... Nec enim par ratio cuiusvis criminis. Est, ubi possis connivere, quamdiu crimen non est apertum; est ubi non possis .... Ut inter duo illa non inquirere quod nescis et punire quod scis, sit medium: punire quod scis et quod scire te alii sciunt. Sane dispar est ratio superstitiosi et facinorosi. Utrosque poena dignos censuit Trajanus, sed credidit posse conniveri in iis, qui sola superstitione laborant, non item posse in facinorosis. Quia, ut ait Marcianus jurisconsultus, mandatis cavetur ut praesides sacrilegos, latrones, plagiarios conquirant, et prout quisque deliquerit in eum animadvertant. Quicum illud Ulpiani consentit: Convenit bono et gravi praesidi curare ut pacata atque quieta provincia sit; et debet malos homines conquirere. His legibus excipi possunt superstitiosi, qui solum opinione peccant." [1]) Sic ille.

Multo vehementior Aubé: „La rhétorique de Tertullien s'échauffe et s'emporte trop facilement: ces antithèses d'école où se plait trop souvent le fougueux et subtil orateur tombent ici à faux." [2])

Longe aliter vir, et ipse doctrina haud parum illustris, E. Renan:

„Trajan encourage l'apostasie faisant grâce aux rénégats; enseigner, conseiller, récompenser l'acte le plus immoral, celui qui rabaisse le plus l'homme à ses propres yeux paraît tout naturel: voilà l'erreur où un des meilleurs

---

[1]) Vossius Operum Tom. IV ll. p. 63.
[2]) Aubé ll. p. 220.

gouvernements qui aient jamais existé a pu se laisser entraîner." [1])

Huic fere consentit vir doctissimus Th. Roller:

„Tertullien .... avait cent fois raison contre le rescrit de Trajan. Si les Chrétiens étaient coupables, pourquoi ne pas les poursuivre, et s'ils étaient innocents, pourquoi les condamner sur simple délation? Le point monstrueux de ce rescrit ...., c'est qu'il témoigne d'un dédain singulier de la vérité et de la justice. On s'inquiétait bien de constater s'il y avait crime ou non! Faute de définir le crime on ouvrait la porte à l'arbitraire des magistrats. La pénalité reste incertaine. Aussi variait-on des travaux forcés à la mort. Qui empêchait les gouverneurs de susciter des accusateurs? C'était l'épée de Damoclès. Si cet édit de Trajan fut néanmoins considéré comme une amélioration à l'ancien état des choses, que devait donc être l'état antérieur. [2])

Neque multum ab illo abludit v. d. Dierauer:

„Nach dem Massstabe der Zeit gemessen, ist Trajans Entscheidung eine äusserst humane, und dennoch der Anfang der principiellen Christenverfolgungen, denn hier wird zuerst dem Christenthume die rechtliche Existenz im Römischen Staate abgesprochen, [3]) und das Christliche Bekenntniss slechthin als ein die Staatsgewalt gegen sich

---

[1]) Rénan Les Evangiles p. 481.

[2]) Th. Roller Revue Archéologique 1876 Tom. 31 pp. 444 sq.

[3]) Haec non omnino recte affirmat vir doctissimus. Profecto enim — uti ex Plinii epistula colligitur — jam antea cognitiones de Christianis habitae erant et illae quidem ex legibus ante perlatis. Quod nisi ita esset quomodo Plinius eosdem ob unam Christiani nominis confessionem damnare potuit, rescripto Trajani nondum accepto? cfr. Allard ll. pp. 159 sqq.

hervorrufendes strafwürdiges Verbrechen betrachtet. In der That wurde bald genug diese legale Handhabe zu masslosen Verfolgungen benutzt, und es lässt sich begreifen, wenn die Christlichen Apologeten, vom Standpunkte innerster Selbstberechtigung ihres religiösen Dogma's gegenüber den Forderungen des Römischen Rechtsstaates mit äusserster Erbitterung sich gegen das Trajanische Edict aussprachen." [1])

Haec quantum inter se differant quis non videt? Aliis Tertullianus suo jure, aliis injuria Trajani rescriptum videtur reprehendisse, aut saltem inconstantiam illi immerito objecisse.

At haud scio an aliqua tamen ratione haec inter se componi possint, si cum acutissimo viro Arnold [2]) statuamus ob mutatam sensim judiciorum formam Tertullianum Trajani Caesaris rescriptum non jam plane intellexisse.

Cum enim, ut fuse demonstrat Geib, [3]) antiquitus Romae fere viguisset illud: „ubi non est accusator, ibi non est reus," sensim tamen cum ob increscentem imperii magnitudinem, tum ob delictorum crebritatem, ob odium denique, idque haud immeritum, quo delatores saepe conflagrabant, haec judiciorum ratio ita mutata est, ut in dies accusator non expectari sed quaeri, immo ut tandem ab ipsis magistratibus in maleficos homines inquiri coeptum sit.

Quod, cum initio quidem rarius fieret, mox — ut fere solet — frequentius factum, Tertulliani aetate (i e. initio saeculi III post Christum natum) jam ita in consuetudinem

---

[1]) Dierauer ll. p, 120. [2]) Arnold ll. pp. 44 sq.

[3]) Geib Geschichte des Römischen Criminalprocesses pp. 102—111; 257—261; 521—536.

verterat, ut in capitalibus causis, antiquum judiciorum morem paene expulisset. Quod patet ex notissimo Ulpiani — qui Tertulliano fere aequalis erat — loco: „Congruit bono et gravi praesidi ut pacata et quieta sit provincia quam regit .... et sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet et prout quisque deliquerit in eum animadvertere." [1]) Qua in re cum Tertulliano egregie consentit, qui post acerbe reprehensum Trajani rescriptum ita pergit: „Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur; in reos majestatis et publicos hostes omnis homo miles est, ad socios consociosque inquisitio extenditur." [2])

Unde recte mihi videtur posse colligi aetate illa in omnes homines vere facinorosos, qui capitali supplicio digni essent, a magistratibus esse inquisitum; quare non injuria Tertullianus inferebat: „quid temetipsam censura circumvenis? Si damnas, cur non et inquiris? Si non inquiris cur non et absolvis"? — Trajani vero aetate res nondum ita se habebat.

Qui primum quidem ipse ab omni tali inquisitione haud parum abhorrebat, cum eandem et delatoribus multum favere intellegeret, quos quanto odio habuerit ex Panegyrico [3]) facile intellegitur, et minime ignoraret, quantum ab antiquis Romanorum moribus illa judiciorum forma recederet.

Accedit, quod — uti ex multis Plinii ad Trajanum epistulis efficitur [4]) — Bithynia provincia factionibus et

---

[1]) Ulpian. Libro VII de Officio procons. Dig. 1, 18, 13.
[2]) Tertull. Apol. c. 2. [3]) Pan. c. 34.
[4]) cfr. T. 33 sq. 68 sq., 81 sq., 115 etc. ex quibus intellegitur quam multae et variae turbae in provincia fuerint.

domesticis discordiis valde vexabatur, quare rectissime ibi praesertim omnem inquisitionem in Christianos, et delationes sine auctoris nomine propositas vetandas esse existimabat.

Quare non ideo Trajanus Christianos conquirendos esse negavit, quod omnino innoxios eos haberet, sed quia putabat minore provinciae incommodo Christianos aliquot impunitos latere, quam omnes conquiri. Quare suo quidem jure Tertullianus in rescripto constantiam desiderari contendit, ipsi vero Trajano animi discordiam immerito objecit.[1])

Sed ex hoc altero Tertulliani errore novum pro rescripti *αὐθεντία* argumentum duci posse non difficile intellegitur.

Quae cum ita sint, libri huius cum universi tum vero epistularum quae de Christianorum causa scriptae sunt *αὐθεντία* firmis argumentis videtur defensa et stabilita.

Neque tamen is ego sum qui negem in utriusque epistulis quae hoc libro continentur non paucas elocutionis neglegentias, non paucos item difficiliores locos inveniri, sed ea (cum viro doctissimo Schaedel, a quo in aliis longe dissentio) cum inde orta existimo, quod non ipse Plinius librum videtur edidisse, [2]) tum inde quod tot tantaque quae ad aetatis illius historiam et instituta spectant aut plane aut magnam saltem partem nobis ignota sunt.

---

[1]) Omnia illa ex Arnoldi commentatione mutuatus sum, quare doctissimo viro debitas gratias ago.

[2]) Videtur enim Plinius aut in Bithynia, aut vix Romam reversus, libro necdum edito obiisse. Quod praesertim ex eo efficitur quod ne in ultimis huius libri epistulis instantis reditus mentio fit, et ex titulis Plinianis nullum eum post legationem honorem gessisse intellegitur. Librum igitur libertus forte aut amicus ediderit, qui hic illic non pauca mutavit interpolavit etiam, non tanta autem diligentia quanta Plinius alios ad familiares libros videtur emendasse.

Ceterum plurima quoque menda ex unius, qui librum propagavit, codicis vitiis originem ducere ultro concedet, quicumque haec Cobeti nostri verba secum perpenderit:

„Nullus superest liber manuscriptus quantumvis antiquus et integer, qui non sit passim et vitiosis scripturis commaculatus et lacunis hians et alienis additamentis interpolatus: optimus ille est, qui minimis urgetur." [1])

[1]) Cobet Variae Lectiones. Praefatio p. XXIII.

APPENDIX AD PAG. 22.

DE CODICE BODLEIANO AB E. G. HARDY NUPER REPERTO.[1]

Quum de argumentis disputarem, quibus Epistularum Plinii et Trajanii *αὐθεντία* demonstratur, codicem hunc Bodleianum verbo commemoravi, a v. d. E. G. Hardy nuper inventum, de quo cum ll. uberius disserere nollem, ea, quae ibi praetermisi hoc loco paucis exponenda esse duxi.

Qui liber partim impressus, partim manuscriptus, ut supra jam significavi, haec continet:

1°. Editionem Beroaldi 1498, quae exhibebat *omnes novem* (ad familiares) *librorum* epistulas eo tempore cognitas.

2°. Editionem Avantii 1502 i. e. Epistulas Plinii et Trajani (ab Ep. 41 — ad finem Ed. Keilianae.)

3°. Praeterea manuscripta addita erant ea, quae in aliis omnibus editionibus (ante Aldinam 1508) desiderabantur:

a. Epistul. VIII 8, 3—VIII 18, 11 et IX 16 (?)

b. Epistulae Plinii et Trajani ab 1 (vel pot. 4, nam prima pagina desideratur) — 41 (Ed. Keil). Porro tam pars impressa, quam ea quae manuscripta est, ab altera

---

[1]) cfr. sis: E. G. Hardy Journal of Philol. Tom. XVII pp. 95—108 item Editionem eiusdem Epistularum Plinii et Trajani Lond. 1889 Introduction pp. 68—72.

quadam manu (in margine) adnotata est. Priorem manum Hardy vocat *B*, alteram *J*.

Inscriptio autem ad finem libri legitur haec:

„Hae Plinii Junioris epistulae ex vetustissimo exemplari Parisiensi et restitutae et emendatae sunt opera et industria Joannis Jucundi praestantissimi architecti, hominis imprimis antiquarii."

Ex verbis initio libri appositis efficitur librum illum emptum esse anno 1708 a *Thoma Hearne* qui haec addit: „It is as good if not better than any MS that I have seen, and is wonderful rare. The 10th Book was printed from the only MS then in the world, which MS is since lost, and this edition is the only authority for the later editions of the 10th book." [1])

Cum hisce jam ea conferamus quae apud Masson in vita Plinii leguntur.

„.... Cuius (Editionis Beroaldinae anni 1498) exemplar nobis amicus *Hearne* communicavit quo Plinii epistolae ex vetustissimo exemplari Parisiensi (MS nempe) et restitutae et emendatae sunt opera et industria Joannis Jucundi praestantissimi Architecti, hominis in primis Antiquarii, uti nota MS ad calcem fertur. Et quidem cum in edito post haec Ep. 8 (Lib. VIII in recent. Edit.) verba: „navium patiens", notetur „Codicem hic mutilum esse," adduntur in eodem exemplari MSS. ceterae quae desunt Epistolae, quaeque in recentioribus Editionibus ad XIX Ep. usque reperiuntur" [2]).

---

[1]) Hardy ll. p. 99.

[2]) C. Plinii Secundi Junioris vita ordine chronologico digesta. Ad annum Christi 106 § 3, p. LXXXVII. Ed. tertia auctior praefixa Editioni Panegyrici Pliniani quam curavit Ioannes Arntzenius Amstel. 1738.

Quae quidem Massonii verba aperte eundem plane librum designant, quem Hardy v. d. nuper se reperisse scribit. Ceterum in edendo Plinio non videtur umquam (post Aldum) esse adhibitus, quare doctissimi viri ἕρμαιον haud parvi sane faciendum est.

Quia autem liber ille multis locus aut cum sola priore editione Aldina (1508) consentit aut nonnumquam ab ipsa, et ab *aliis omnibus* ita discrepat, ut satis manifesto appareat, libri huius lectiones a MS potius quam ab impresso exemplo esse derivatas [1]), et cum demum et chartae ratio et litterarum cum hisce bene concordet, quippe quae sit omnino similis et chartae et scripturae, qua viri docti in Italia ea aetate solebant uti), haud sine magna veritatis specie demonstravit Hardy:

1um Partem illam libri manuscriptam antiquissimum esse fontem earum epistularum quas contineat, cum sit derivata aut ex codice illo Parisino, aut ex ipsius Jucundi apographo.

2°. Notas quae in margine legantur item ex Jucundi apographo esse descriptas.

3°. Totum illum librum ab Aldo edendo Plinio esse adhibitum [2]), immo forte ex ipso primum, quod vocant, exemplar typographicum esse expressum [3]).

---

[1]) Ut: „ecce autem" pro „esse autem" (T. 10).
„Panchay: ae; ac Soteridi" pro „Panchariae Soteridi" (T. 11, 2) etc. cfr. et Hardy Introd. pp. 69 sq.

[2]) cfr. Hardy, Introd. p. 71.

[3]) Quia B et J non ita raro ab Aldina priore (1508) differunt, suspicatur Hardy (neque ille immerito) ex hoc libro primum tantum exemplar typographicum („the first proof") esse expressum ita ut postea Aldus haud pauca sive ex propriis sive aliorum doctorum virorum conjecturis, sive etiam ex codice Parisino, quem biennio post a Mocenico accepit, mutata esse videantur.

Haud scio an illud fuerit inter „sex illa alia volumina epistolarum. . . . partim impressa quidem, sed cum antiquis collata exemplaribus", quae Aldus sibi a Jucundo Venetias transmissa esse affirmat [1]).

Operae pretium fuerit hoc loco nonnullas ex variis lectionibus subjicere. (B primam manum J alteram designat.)

T. 23,1 (Ed. Keil) *Aldus*: „Prusenses domine balineum habent et sordidum et vetus. Id itaque indulgentia tua restituere desiderant. Ego tamen aestimans novum fieri debere, videris mihi desiderio eorum indulgere posse."

Keil lacunam indicat post: aestimans.

B. . . . . „sordidum et vetus. Itaque tamen aestimamus novum fieri, quod videris mihi desiderio eorum indulgere posse."

(Unde Hardy, qui apographo illo usus est: „Idque tam in(utile) aestimant ut novum fieri (debeat) quod videris mihi desiderio eorum indulgere posse.")

T. 39,1 *Aldus* et *B*. . . . „rimis *descendit* et hiat."

Sed *J* (in margine) „rimis desedit et hiat." (quod recte videtur recepisse Hardy).

T. 78,2 *Avantius*: „Plures enim et quanto infirmiores erunt idem fiduciam diligentiae tuae habeo."

J addidit post „idem": „petent" (quod jam conjecerat Beroaldus et recepit Keil).

Aldus: „Plures enim (tanto magis eadem requirent) quanto infirmiores erunt. Tibi eam fiduciam diligentiae habeo cet."

---

[1]) cfr. Keil ll. p. XXIII.

T. 102 *Avantius* „Diem quae in tutela generis humani..... translata est".
Aldus „Diem in quem tutela cet."
Sed *J* „Diem quo in te tutela cet." quod postea conjecit J. F. Gronovius.

Ex hisce quae ex Hardyi disputatione maximam partem deprompsi, in qua eadem multo copiosius et fusius exponuntur, vir idem doctissimus efficit èt Aldo majorem aliquanto fidem auctoritatemque esse tribuendam quam tribuat Keil, qui Aldo plerumque Avantium praeferat,[1]) èt praesertim a Jucundo, cui emendationes in margine deberi recte conjicit Hardy, non minus accurate quam acute Parisini codicis et priorum editionum lectiones esse descriptas et emendatas: „The general fidelity — ita ipse — of Jucundus, assuming him to be the original of J, is sufficiently proved by the confirmation of his readings in a very large number of cases by M, and in a few both by M and Budaeus [2])."

Sunt autem praeterea quatuor loci, ubi J. (i. e. adnotationes in margine) cum sola prima editione Catanaei (1506) consentit, contra alias *omnes* editiones, *omnes*que alios libros manu scriptos.

Qui quidem loci hi sunt:

Ep. I, 5 15 *J* et *Catan* I [3]) habent: *ἀκατκπάλαιστον.*
Aldus (1508) *δυσκαθαίρετον.*

---

[1]) cfr. Keil II. p. XXXVII. Hac in re consentit Hardy cum Ussingio qui idem monet II. p. 23 *nota*.

[2]) cfr. quae supra de hac quaestione disputavi pp. 20 sqq.

[3]) Pro prima editione Catanaei (Mediol. 1506) quae in Leidensi bibliotheca non inveniebatur, adhibui Ed. eiusdem Venet. 1510, quae et teste Hardyo *omnino* cum Ed. 1506 consentit et, quantum vidi cum Keilii lemmatis omnino congruit, quare eam Cat. I insignivi.

M et *V* (quo *usus* sed quem *in hisce non secutus* est *Pomp. Laetus* 1490):
ΔΥCΚΑΘΕΡΕΤΟΝ.
Beroald: *ἀκαθαιρετον.*
Catan (*Ed.* 1519) *ἀκαταπάλαιστον.*

Ep. VI 31, 12: *J* et *Catan.* I *καταστήσατε.*
Aldus (1508) *ἐπίστασθε.*
*M*ΕΠΙCΤΗCΑΤΑΙ
D (dresdensis) *ἐνιστήσατε* (item: Beroald. et Pomp Laet.)
Catan. (*Ed.* 1519) *καταστήσατε.*

Ep. VII 12, 2 *J et Catan.* I *ὑμεῖς γὰρ ἀεὶ ἴςχνοι.*
Aldus *ὑμεῖς οἱ εὔζηλοι.*
Beroald, Pomp. Laetus *ὑμεῖς γὰρ οἱ εὔζηλοι.*
Catan. (*Ed.* 1519) *ὑμεῖς γὰρ ἀεὶ ἴσχνοι.*
in *M* graeca verba desunt.
Catan. Ed. II (1518) *ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι* (Ita Keil a. h. l. p. 190).

T. 86 B (Ed. Keil): *J et Catan* I (quos secutus est Hardy): „Fabium Valentem instructum commilitio tuo valde probo".
Avantius..... „quam ea quae speret instructum commilitio tuo". (hunc sequitur Keil).
Aldus .... „quam abunde ea quae speret instructum".
Catan II (1518 *et Ed.* 1519) „quem abunde conspexi instructum".

Miram hanc J (Jucundi) cum Catanaeo consensionem

et ab omnibus aliis libris diversitatem, [1]) Hardy se explicare non posse confitetur: „I do not attempt here, inquit, to solve the problems raised by these coïncidences." [2]) Hoc rectissime statuit Catanaeum neque vidisse codicem Parisinum, neque Jucundi apographum, quippe quum profecto tunc illas litteras editioni suae addidisset, quae in utroque illo legebantur, alibi vero omissae erant. Suspicatur ergo Hardy fieri forte potuisse, ut hae essent lectiones codicis Parisini [3]) ex Leandri apographo a Catanaeo receptae. Mirum tamen sibi videri fatetur, easdem lectiones ab Aldo esse rejectas neque ab ipso Catanaeo in sequenti editione esse servatas. [4])

At haud scio an tam spissis tenebris aliquam saltem lucem afferre possim.

Si enim quaerimus undenam Jucundus, Parisiis cum moraretur, lectiones illas, de quibus disputamus, depromere potuerit, tria tantum occurrunt:

1um. Aut illas invenit in codice Parisino quem describebat.

2o. Aut conjecturis ipse finxit.

3o. Aut tandem ex Catanaei editione eadem recepit.

Quartum excogitari nequit.

Cum autem horum neque primam neque alterum veritatis speciem prae se ferat, restat ut tertium admittamus.

Etenim non in codice Parisino ea esse lecta evidenter hinc patet, quod Aldus, qui ipse codicem illum se edendo Plinio adhibuisse testatur — neque est cur fidem ei temere

---

1) Excepta (tribus saltem prioribus locis) Editione Catanaei 1519.

2) Hardy, Journ. of Philol. II. p. 108.

3) Hoc proprie loquendo de quarto tantum loco (T. 86, B) suspicatur Hardy; de aliis nil nominatim affirmat.

4) Hoc iterum de quarto tantum loco valet.

negemus: „nemo gratis mendax" — certo certius ea in editionem suam recepisset, cum lectiones hae aliis sane non essent deteriores, uno vero loco, T 86 B, Jucundi et Catanaei lectio corruptissimum locum egregie sanasset (si vera fuisset!)

Accedit quod verisimile est et Petri Leandri apographum et Avantianam editionem eandem tunc lectionem fuisse praebitura. Neque et ipse Catanaeus in altera sua (sive, si editionem eiusdem Venetiis 1510 ne verbo quidem mutato impressam numeraveris, tertia) editione (1518) et in tertia (Venet. 1519), lectionem suam priorem rejecisset, praesertim, cum in Praef. Ed. 1518 testetur se vidisse apographum vetustissimi codicis „Germanici," quem non esse alium quam codicem Parisinum a Jucundo inventum rectissime statuit Keilius. [1])

Sed neque eadem Jucundi conjecturis deberi crediderim. Neque enim admitti potest Jucundum Parisiis, eodem paene tempore, quatuor locis corruptis, easdem omnino emendationes excogitasse, quae, ab aliis omnibus editionibus quae tum ferebantur, diversae, in Catanaei editione paulo ante impressa legebantur; cum praesertim tam facilis huiusce rei explicatis vel ultro se offerat, si Jucundum, qui, Parisiis cum maxime habitans, codices qui in Italia servabantur, inspicere non posset, ad conficiendum apographum, praeter codicem quem describebat, et omnium recentissimam, quae tum erat, editionem adhibuisse, et quatuor hisce locis Catanaei lectiones recepisse. [2])

---

[1]) cfr. Keil ll. p. XXIV.

[2]) Neque huic explicationi temporis ratio obstat. Aldus enim mense Nov. 1508 testatur se fere biennio ante apographum Jucundi accepisse i. e. 1506, cum Catanaeus, ut ex subscriptione in fine libri patet, IV Kal. Febr. 1506 editionem suam perfecerit cfr. Keil ll. p. XXI.

Aldus vero, qui èt codicem Parisinum, a Mocenico ad se transmissum, èt illos qui in Italia servabantur, libros inspicere poterat, non videtur Jucundi emendationes e Catanaeo depromptas probasse, sed manuscriptorum codicum lectiones, quas optimas norat, vel etiam suas conjecturas praetulisse.

Itaque haec satis probabiliter mihi videntur posse explicari.

Longe difficilior est altera quaestio, undenam Catanaeus lectiones suas duxerit? Ad quam ut paullo saltem facilius respondeam, quartus ille locus a tribus prioribus seorsum videtur exponendus.

Primum varias corruptissimi huius loci lectiones in primis quae ad annum 1519 (inclus.) prodierunt editionibus exscribam, praemissa integra èt ipsa èt illa quae praecedit epistula, quae in plerisque libris cum ea de qua disputamus conjuncta legebatur. Qua in re — ut facile quisque intellegit — Keilii editione praesertim usus sum.

Ep. T. 86 A. (Keil): „Gavium Bassum, domine, praefectum orae Ponticae, integrum, probum, industrium, atque inter ista reverentissimum mei expertus, voto pariter, et suffragio prosequor *ea fide quam tibi debeo.*"

Ep. T. 86 B. (Keil): [1] „.... *quam ea quae speret instructum commilitio tuo, cuius disciplinae debet quod* indulgentia tua dignus est. Apud me et milites et pagani, a quibus justitia eius et humanitas penitus inspecta est, certatim qua privatim qua publice testimonia pertribuerunt. Quod in notitiam tuam perfero *ea fide quam tibi debeo.*"

---

[1]) lacunam indicat Keil.

Jam alios audiamus editores:

H. Avantius (*Ed. princ.* 1502): „ea fide quam tibi „debeo [1]): quam ea quae speret instruc-„tum commilitio tuo, cuius disciplinae „debet cet."

Phil. Beroaldus (1502 *vel pot.* 1503): „ea fide quam „tibi debeo [2]) quem ad ea quae speret „instructum commilitio tuo cuius di-„sciplinae debet cet."

I. M. Catanaeus I (1506) *et Jucundus* (*J*) [3]): „ea fide quam tibi debeo". [4])
„*Fabium Valentem* instructum commi-„litio tuo *valde probo*, cuius disciplinae „debet, cet."

Aldus I (1508) „ea fide quam tibi debeo [5]), „quam abunde ea, quae speret instru-„ctum commilitio tuo cuius disciplinae „debet cet."

Catanaeus II (1518) *et III* (1519): „ea fide quam „tibi debeo, [6]) quem abunde conspexi „instructum commilitio tuo cet"

Si igitur jam quaerimus unde Catanaeus Fabium Valentem suum, et epistularum distinctionem duxerit, hoc pro certo affirmare ausim ea ex nullo codice esse depompta; profecto enim et Aldus multo meliorem illam lectionem

---

[1]) Avantius epistulas *non* distinguit.
[2]) Beroaldus epistulas *non* distinguit.
[3]) Hos sequitur Hardy.
[4]) Novae epistulae initium constituunt J et Catan.
[5]) Aldus epistulas *non* distinguit.
[6]) Catan. II et III *non* distinguunt epistulas.

in editionem suam recepisset, neque ipse Catanaeus in altera editione priorem lectionem longe deteriore mutasset.

Sed neque ex prioribus editionibus eadem recepit, ut ex ipsa lectionum varietate illico patet.

Restat igitur ut aut ipse Catanaeus, aut ille qui apographum ex Avantii aut P. Leandri schedis descriptum in Catanaei usum confecit, conjectura, neque illa parum ingeniosa, haec exogitaverit. [1])

Neque vero plane desperare mihi videor, fieri posse, ut aliquatenus saltem probabili conjectura assequamur, quomodo emendatio talis Catanaeo in mentem venire potuerit.

Quidnam in codice Parisino et in P. Leandri aut tandem Catanaei schedis (quae et ipsae ex codice Parisino derivantur) lectum sit, equidem ignoro. Sed tamen certe fuit eiusmodi quid, ex quo Aldus haec: „*quem abunde ea*" cet. eruere posset.

Quid, si Catanaeum ex hisce: „Fabium" conjecisse statuamus? Mox vero, cum sciret Plinium vulgo *duobus nominibus* quos appellaret designare, eum secum reputasse crediderim, cuinam tandem ex „Fabiis" illis qui in Plinii epistulis legerentur haec epistula apte conveniret. Fabium vero Valentem ab eo esse electum mirabitur nemo, qui indicem Plinianum a Mommseno summa diligentia confectum attento animo inspexerit: (collata Ep. IV 24, ex qua familiarissime Plinium cum Fabio Valente egisse efficitur); nullus enim in novem epistularum libris alius legitur Fabius, in quem haec epistula quadret. [2])

---

[1]) Videtur Keilio Catanaeus tali apographo uti potuisse cfr. Keil ll. p XXXVI

[2]) In Mommseni indice legitur quidem Fabius Rusticus: verum „Fabius" conjecturae Mommsenianae debetur: Ep IX 29 tantum legitur: *Rusticus*. Reliqui, ut jam monui, Fabii huic epistulae omnino non conveniunt.

Verba autem „valde probo" post inventum Fabium Valentem a Catanaeo esse addita vix quisquam mirabitur.

Postea vero Catanaeus, cum videret conjecturam suam aliis viris doctis non probari, ad aliarum editionum lectionem fere rediit, immo et distinctionem illam utriusque epistulae quam egregie ipse invenerat abjecit.

Quae cum ita sint, non recte Hardy Catanaei conjecturam ex Jucundi apographo in editionem suam videtur recepisse, quo longe prudentius fecit Aldus, quum emendationem, ingeniosam sane illam, nimis tamen audacem rejiceret: — hoc uno peccavit, quod duas epistulas, a Catanaeo recte separatas in unam conjunxit.

Omnia vero quae de quarto illo loco adhuc disputavimus egregie confirmantur iis, quae de tribus aliis locis dicenda sunt.

Etenim, quod mirum videri possit, idem Catenaeus, qui in Ep. T. 86 B. Aldinam editionem mox ita secutus est, ut èt in Editione secunda (1518) et in tertia (1519) remedium quod corruptissimo loco adhibuerat, improbaret, tribus aliis locis quos supra laudavi (Ep. I 5, 15, VI 31, 12 VII 12, 2) suas lectiones contra omnes alias editiones, immo contra fidem codicis Medicei (quem ad editionem secundam anni 1518 abhibuit) in sua editione, quae anno 1519 Venetiis impressa est, constans retinuit. [1])

---

[1]) Secundam Catanaci editionem 1518 quum in bibliotheca Leidensi non invenirem, inspicere non potui In Editione tertia (sive si lubet 4°) anni 1519 Catanaeus tribus illis locis *omnino* idem exhibet quod in prima Ed 1506 Quidnam in Editione 2a anni 1518 expresserit nescio. Keil tantum ad Ep. VII 12, 2 lectionem illius editiones praebet eamque *diversam* a lectione Editionum et *primae* (1506) et *tertiae* (1519) Errasse Keilium equidem affirmare non ausim. Mirum tamen valde videtur Catanaeum 1519, lectione anni praecedentis 1518 abjecta, ad primae suae editionis (1506) lectionem esse reversum.

Quod eo magis admirationem movet, quod tribus illis locis Catanaei lectio aliis non deterior quidem est, sed neque praestat: T. 86 B. vero ex Catanei editione sana sententia ultro apparet, ex aliis molestissima lacuna.

Ex omnibus hisce meo jure mihi haec colligere videor:

1°. Lectionem illam T. 86 B. meram conjecturam esse Catanaei, quippe quam tam facili negotio rejecerit: quod quidem ea quae supra de eadem re disputavi egregie confirmat.

2°. Tribus vero aliis, quos attuli locis, haud scio an Catanaeus codicis lectionis receperit.

Ipse certe Catanaeus: „elaborandum fuit, inquit, ut *multa* cum impressis *vetusta* exemplaria conferremus." Quibus verbis etsi Keilio [1]) de veritate suspectis, equidem cum exempla supra allata respiciam fidem denegare minime ausim.

---

[1]) Keil ll. p. XXI.

THESES.

THESES.

I.

Epistulae Plinii et Trajani mutuae genuinae sunt.

II.

Plinii novem Epistularum libri non ex temporum rationibus dispositi sunt.

III.

Praefecturam aerarii Saturni non per quadriennium (quod contendit Mommsenus) sed per biennium tantum Plinius gessit.

IV.

Non recte Hardy ex apographo Bodleiano edidit: Ep. T. 86. B. „Fabium Valentem valde probo", cum haec lectio Catanaei conjecturae tribuenda sit.

V.

Ep. T. 66. 2. (Ed. Keil).

Et ideo *nec* adsertionem denegandam iis qui ex eius modi causa in libertatem vindicabuntur puto *neque* ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum.

Legendum est: *nec* . . . . *et*.

VI.

Horat. Sat. I. 7. v. 27.

. . . . . Ruebat
Flumen ut hibernum, *fertur quo rara securis*.

Legendum: *fertur quod in avia cursu*.

VII.

Horat. Sat. II. 1. vv. 44 sq.

. . . . . At *ille*,
Qui me commorit (melius non tangere, clamo),
Flebit et insignis tota cantabitur urbe.

Cum Peerlkampio legendum: . . . . . At *illi*
Qui me commorit, melius non tangere clamo.
Flebit et insignis tota cantabitur urbe.

VIII.

Horat. Sat. II. 3. vv. 71—73

71 Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
72 Cum rapies in jus malis *ridentem* alienis,
73 Fiet aper, modo avis, modo saxum et, cum volet, arbor.

v. 72 legendum: *ridens;* et delendus v. 73.

IX

Tacit. Annal. VI. 40 [46] (Ed. Halm).

Vibulenus Agrippa eques Romanus, cum perorassent accusatores, in ipsa curia depromptum sinu venenum hausit, prolapsusque ac moribundus festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est, faucesque jam exanimis laqueo *vexatae.*

Legendum: *innexae.*

X.

Tacit. Annal VI. 42 [48].

Plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens saepta muris neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens

Legendum: in barbarum ⟨*morem*⟩ corrupta.

XI.

Tacit. Annal XII. 20.

Verum ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum; nam triumphos de populis regnisque integris *acquiri.*

Legendum: *quaeri.*

XII.

Tacit Annal. XII. 22.

. . . proinde publicatis bonis cederet Italia. *Ita* quinquagiens sestertium ex opibus immensis exuli relictum

Delendum: *Ita* ex dittographia ortum.

XIII.

Tacit. Annal. XII. 63.

... redditum oraculum est, quaererent sedem caecorum terris adversam. Ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, praevisa locorum utilitate, peiora legissent.

Legendum: <*non*> praevisa locorum utilitate.

XIV.

Tacit. Annal. XII 65.

Quamquam ne inpudicitiam quidem nunc abesse, Pallante adultero, ne quis ambigat decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere.

Legendum: ne quis <*eam*> ambigat.

XV.

Tacit. Annal. XIII. 6.

Fine anni turbidis rumoribus prorupisse rursum Parthos et rapi Armeniam adlatum est, pulso Rhadamisto, qui *saepe* regni eius potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat.

Legendum: *scelere*.

XVI.

Tacit. Annal. XIII. 11.

Clementiam suam obstringens crebris orationibus quas Seneca, testificando quam honesta praeciperet, vel jactandi ingenii, voce principis vulgabat.

Legendum: jactandi ingenii ⟨*causa*⟩.

XVII

Tacit. Annal. XIII. 25.

Ludicram licentiam ..... velut in praelia convertit impunitate et praemiis atque ipse occultus *et* plerumque coram prospectans

Legendum: ⟨*non*⟩ occultus *sed* plerumque cet

XVIII.

Tacit. Annal. XVI. 35.

Accepto dehinc senatus consulto Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit; *porrectis*que utriusque bracchii venis, postquam cruorem effudit cet.

Legendum: *prosectis*.

XIX.

Hom Iliad. O vv. 625 sq. (Ed. v L.)

..... *ἡ δέ τε πᾶσα*
ἄχνῃ ὑπεκρύφθῃ, ἀνέμοιο δὲ δεινὸς ἀήτη
ἱστίῳ ἐμβρέμεται

Legendum . .. *ἄνεμος δὲ δϜεινὸς ἀήτῃ κ. τ. λ.*

XX.

Sophocl. Aiac. vv. 485 sq. (Ed Nauck)

ὦ δέσποτ' Αἴας τῆς ἀναγκαίας τύχης
οὐκ ἔστιν οὐδὲν μεῖζον ἀνθρώποις κακόν.

Legendum: οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρεῖσσον ἀνθρώποις ἄκος.

XXI.

Sophocl. Philoct. v. 236.

τίς σ', ὦ τέκνον, προςέσχε;

Legendum: τίς, ὦ τέκνον, προςέσχες;

XXII.

Sophocl. Philoct v. 577.

..... ἀλλ' ὅσον τάχος
ἔκπλει σεαυτὸν ξυλλαβὼν ἐκ τῆςδε γῆς.

Legendum: ἔκπλει σὺ τοῦτον ξυλλαβὼν ἐκ τῆςδε γῆς.

XXIII

Euripid. Cyclop. v. 349. (Ed. Dindorf.)

..... νῦν δ' ἐς ἀνδρὸς ἀνοσίου
γνώμην κατέσχον ἀλίμενόν τε καρδίαν.

Legendum: γνάθους κατέσχον ἀλίμενόν τε καρδίαν.

XXIV.

Thucyd L. V. c. 15. 1 (Ed. v. Herw.)

Ταῦτ' οὖν ἀμφοτέροις αὐτοῖς λογιζομένοις ἐδόκει ποιητέα εἶναι ἡ ξύμβασις, καὶ οὐχ ἧσσον τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἐπιθυμίᾳ τῶν ἀνδρῶν τῶν ἐκ τῆς νήσου κομίσασθαι· ἦσαν γὰρ οἱ Σπαρτιᾶται αὐτῶν πρῶτοι τε καὶ ὁμοίως σφίσι ξυγγενεῖς.

Legendum: <ἐπόθ> ησαν γὰρ οἱ Σπαρτιατῶν πρῶτοι τε καὶ ὁμοῖοι <τοὺς> σφίσι ξυγγενεῖς.

XXV.

Thuc. L. V. c. 65. 4.

ἐβούλετο δὲ τοὺς ἀπὸ τοῦ λόφου βοηθοῦντας ἐπὶ τὴν τοῦ ὕδατος ἐκτροπήν, ἐπειδὰν πύθωνται, καταβιβάσαι [τοὺς Ἀργείους καὶ τοὺς ξυμμάχους] καὶ ἐν τῷ ὁμαλῷ τὴν μάχην ποιεῖσθαι.

Lenior est emendatio:

ἐβούλετο δε τοὺς Ἀργείους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἀπὸ τοῦ λόφου καταβιβάσαι, βοηθοῦντας ἐπὶ τὴν τοῦ ὕδατος ἐκτροπὴν ἐπειδὰν πύθωνται.

XXVI.

Thucydid. L. V. c. 72. 2.

ἀλλὰ μάλιστά δὴ κατὰ πάντα τῇ ἐμπειρίᾳ Λακεδαιμόνιοι ἐλασσωθέντες τότε τῇ ἀνδρίᾳ ἔδειξαν οὐχ ἧσσον περιγενόμενοι.

Legendum: ἀλλὰ μάλιστα δὴ κατὰ πάντα <τὸν πόλεμον> τῇ ἐμπειρίᾳ Λακεδαιμόνιοι ἐλασσωθέντες cet.

XXVII.

Thucydid. L. V. c. 81. 2.

καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀργεῖοι, χίλιοι ἑκάτεροι ξυστρατεύσαντες, τὰ τ' ἐν Σεκυῶνι ἐς ὀλίγους μᾶλλον κατέστησαν [αὐτοὶ οἱ Λακεδαίμονιοι ἐλθόντες].

Delenda inclusa.

XXVIII.

Thucydid. L. V. c. 96.

Σκοποῦσι δ' ὑμῶν οὕτως οἱ ὑπήκοοι τὸ εἰκός, ὥστε τούς τε μὴ προςήκοντας, καὶ ὅσοι ἄποικοι ὄντες [οἱ πολλοὶ] καὶ ἀποστάντες [τινὲς] κεχείρωνται ἐς ταὐτὸ τιθέασιν;

Delenda inclusa.

XXIX.

Thucydid. L. V. c. 109.

τῆς γοῦν οἰκείας παρασκευῆς ἀπιστίᾳ [καὶ] μετὰ ξυμμάχων πολλῶν τοῖς πέλας ἐπέρχονται.

Delendum otiosum *καί*.

XXX.

Thucydid. L V. c. 111. 5.

.... *ἐνθυμεῖσθε πολλάκις ὅτι περὶ πατρίδος βουλεύεσθε, ἣν μιᾶς πέρι καὶ ἐς μίαν βουλὴν τυχοῦσάν τε καὶ μὴ κατορθώσασαν ἔσται.*

Legendum: ..... *ἧς μιᾶς πέρι μία βουλὴ τυχοῦσίν τε καὶ μὴ κατορθώσασιν ἔσται.*

XXXI.

Platon. Protag. 334 D.

Καὶ διὰ τοῦτο οἱ ἰατροὶ πάντες ἀπαγορεύουσι τοῖς ἀσθενοῦσι μὴ χρῆσθαι ἐλαίῳ ἀλλ' ἢ ὅτι σμικροτάτῳ ἐν τούτοις οἷς μέλλει ἔδεσθαι, ὅσον μόνον τὴν δυσχερέιαν κατασβέσαι τὴν ἐπὶ ταῖς αἰσθήσεσι [ταῖς διὰ τῶν ῥινῶν] γιγνομένην ἐν τοῖς σιτίοις σε καὶ ὄψοις.

Delenda inclusa.